TRACTATUS DE IURE ET IUSTITIA DISTRIBUTIUA. COMPLECTENS OMNES LEGES...

Natale Schittini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
9 B
15

Col. V.
M
3

Cl. V
M
3.

gle

551 1

Digitized by Google

Digitized by Google

751

2

TRACTATVS


DE IVRE ET IVSTITIA DISTRIBVTIVA.

COMPLECTENS OMNES LEGES DIVINAS & humanas. Necnō diſputationes de Iuſtitia Diſtributiua, & de Opinionibus ſequendis in quacunque re ad Rempublicam fœliciter regendam, & gubernandam valde vtilis, & neceſſarius.
In duos libros diuiſus.

AVCTORE DON NATALE SCHITTINO PANORMITANO, ſacræ Theologiæ ſacrorumque Canonum Doctore, ac Potentiſsimi Philippi Tertij Regis Cappellano.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPI D. D. Petro Fernandez de Caſtro Lemenſium Comiti, Marchioni Sarriç, ac Italiæ ſupremi Senatus Pręſidi æquiſsimo, dicatus.

Cum indice in fine Diſputationum, & Articulorum, necnon Rerum, & Sententiarum copioſiſsimo.



S. Andrea della Valle.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM PRIVILEGIO.

Matriti, Ex Typographia Regia, Anno 1617.

Digitized by Google

13 9 3. 15

Digitized by Google

EL REY.

POR Quanto por parte de vos el Doctor don Natal Eſchittino Panormitano nueſtro Capellan, nos ha ſido fecha relacion, que auiades compueſto vn libro intitulado, *De Iuſtitia & Iure, & Iuſtitia diſtributiua*, muy neceſſario y vtil al bien publico, y al ſeruicio de Dios y nueſtro, y nos ſuplicaſtes os mādaſſemos dar licencia para le imprimir, y priuilegio por diez años, ò como la nueſtra merced fueſſe: lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, por quanto en el dicho libro ſe hizieron las diligencias q̄ la pregmatica por nos vltimamēte ſobre la impreſsion de los libros hecha diſpone. Por lo qual, por os hazer merced, os damos licencia y facultad, para que por tiempo de ſeys años primeros ſiguientes, que corran y ſe cuenten deſde el dia de la data deſta nueſtra cedula en adelante, vos, ò la perſona que vueſtro poder huuiere, y no otra alguna, podays imprimir y vēder el dicho libro que de ſuſo ſe haze mencion en todos eſtos nueſtros Reynos de Caſtilla, por el original que en el nueſtro Conſejo ſe

Digitized by Google

ha viſto, que va rubricado, e firmado al cabo de Iuan de Xerez nueſtro eſcriuano de Camara, de los que en el nueſtro Conſejo reſiden: con que antes que ſe venda lo traygays ante ellos, juntamente con el original, para que ſe vea, ſi la dicha impreſsion eſtà conforme a el, ò traygays fè en publica forma, en como por corrector por nos nombrado, ſe vio y corrigio la dicha impreſsion por el original. Y mandamos al impreſſor que anſi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y primer pliego, ni entregue mas de vn ſolo libro con el original al Autor, ò perſona a cuya coſta ſe imprimiere, y no otro alguno, para el efeto de la dicha correcciõ y taſſa, haſta que primero el dicho libro eſtè corregido y taſſado por los del nueſtro Cõſejo: y eſtando anſi, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio y primer pliego; y en el ſeguidamente ſe ponga eſta nueſtra licencia y priuilegio, y la aprouacion, taſſa y erratas, ſo pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica y leyes de nueſtros Reynos, que cerca dello diſponen. Y mandamos, que durante el dicho termino, perſona alguna ſin nueſtra licencia, no pueda imprimir, ni vender el dicho libro, ſo pena, que el que lo imprimiere aya perdido, y pierda todos y qualeſquier

libros

Digitized by Google

libros, moldes, y aparejos que del dicho libro tuuiere, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere: la qual dicha pena, ſea la tercera parte para nueſtra Camara, y la otra tercera parte para la perſona que lo denunciare, y la otra tercera parte para el juez que lo ſentenciare. Y mandamos a los del nueſtro Conſejo, Preſidente y Oydores de las nueſtras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nueſtra caſa y Corte y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Aſsiſtente, Gouernadores, Alcaldes mayores, y ordinarios, y a otros juezes, è juſticias qualeſquier, de todas las ciudades, villas, y lugares de los nueſtros Reynos y ſeñorios, y a cada vno, y qualquier dellos, anſi a los que agora ſon, como a los que ſeran de aqui adelante, que vos guarden y cumplan eſta nueſtra cedula y merced que anſi os hazemos: y contra el tenor y forma della no vayan, ni paſſen, ni conſientan yr, ni paſſar en manera alguna, ſo pena de la nueſtra merced, y de diez mil marauedis para la nueſtra Camara. Fecha en Aranjuez a ſeys dias del mes de Mayo, de mil y ſeyſcientos y diez y ſiete años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro ſeñor

Pedro de Contreras.

TASSA.

Digitized by Google

TASSA.

YO Iuan de Xerez eſcriuano de Camara del Rey nueſtro ſeñor, de los que reſiden en ſu Conſejo, doy fee, que auiendoſe preſentado ante los ſeñores del dicho Conſejo vn libro intitulado, De Iure & Iuſtitia diſtributiua, *compueſto por el Doctor don Natal Capellan de ſu Mageſtad, que con licencia y priuilegio de ſu Mageſtad ha ſido impreſſo, le taſſaron a quatro marauedis el pliego en papel, y a eſte precio, y no a mas, mandaron ſe venda, y que eſta fee de taſſa ſe ponga al principio de cada vn libro de los que anſi fueren impreſſos, en virtud de la dicha licencia. Y para que dello conſte di eſta fee, que es fecha en la villa de Madrid a veynte y dos dias del mes de Iunio, de mil y ſeyſcientos y diez y ſiete años.*

Iuan de Xerez.

ERRATA.

ERrata hic corrigas, folio 9. linea 25. dicit ſecundum, corrige primum, 13.15.qualibet, quolibet, 14.17.tenent, tenet. 27.5.peximus, peſſimus. 46.19 c.6.articulo 6.59.17.vitan eſſe, vitan in eſſe, 74.3.ius gentium quod, ius gentium eſt, quod, 75.22.vt omnis, vt in c.omnis, 93.9. de modo, modo, 97.28.formam forum.105.12.in quo, in qua.184.26.gratificationi, gratificationis, 219.2.ergo od id, ergo ea, 237.27.in partibus, in pertibus, 141.2.diuinis rebus, diuinis rebus.143.18.&, eſt, 257.7.illa, in illa, 261.26.corum, contra ſe, 266.15.collatum firmata, collatum, & firmata.273.8.284.12.ſequeretur, ſequi, 289.21.patur eſt locus gratificationi, datur. & eſſe locus gratificationis, 195.9 illicitum, licitum.

Con eſtas erratas correſponde con ſu original. Dada en Madrid a diez y nueue de Iunio, de mil y ſeyſcientos y diez y ſiete.

El Licenc. Franciſco Murcia de la Llana.

CEN-

CENSVRA P. PRAESENTATI Fr. Thomæ Daoiz, Lectoris Theologiæ, ac ſupremi Senatus ſanctæ Inquiſitionis Qualificatoris.

EX Commiſsione domini Doctoris Gutierre de Cetina Vicarij Matritenſis, vidi Tractatum *De Iure & Iuſtitia diſtributiua*, Authore D. Natale Schittino Panormitano, ſacræ Theologiæ, ſacrorumque Canonum Doctore, ac potentiſsimi Philippi Tertij Regis Capellano: in quo nihil inuenio, quod moribus, aut fidei ſit contrarium. Quin potiùs tradit doctrinam ſanam, ac tutam, magiſque conformem Concilijs, iuribus, & decretis Conciliorum, præcipuè Tridentini, ſectatur breuitatem, & diſtinctionē: opus eruditum, ac prælo digniſsimum, maximèque neceſſarium ad optimam gubernationem, & vt dignioribus præmia diſtribuantur. Dat. in Conuentu Sancti Thomæ Matriti, die 27. Martij, 1617.

F. Thomas Daoiz.

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA P. F. HIERONYMI Mariæ Milan, Prædicatoris, Ordinis S.P. Franciſci, ſacræ Theologiæ Poſitiuæ, ac Scholaſticæ Lectoris, necnon ſanctæ Inquiſitionis Conſultoris Qualificatoris.

TRactatus hos *De Iure & Iuſtitia diſtributiua*, *Auctore D. Natale Schittino Panormitano, ſacræ Theologiæ, ſacrorũque Canonum Doctore, ac potentiſsimi Philippi Tertij Regis Capellano, ex mandato ſacri ac Regalis Senatus, ſedula qua potui, diligentia euolui, in quibus talis ſententia, vbertas breuis, ſana ac inſignis reſolutio, & grauis eruditio elucet, vt tam graui ac ſapiente viro digna ſint. Ex quo facilè deprehẽdi poteſt, in eis, non ſolùm nihil diſſonum fidei & moribus, verùm multa rationi, & doctrinæ ſanctorum ac Conciliorum conſona inueniantur, quæ digna ſint, vt in mediam lucem producantur, in maximum omnium, præcipuè eorum, qui præſunt, commodum, & vtilitatem prouentura. In hoc noſtro Cænobio ſanctiſsimi P. N. Frãciſci. Matriti, die 27. Aprilis, anno 1617.*

Fr. Hieronymus Maria Milan.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMOQVE HEROI D. D. PETRO FERNANDEZ

de Caſtro Comiti Lemenſi, Marchioni Sarriæ, potentiſſimi Regis Philippi Tertij ab aurea claue, Illuſtriſſimarum Villaluæ, & Andradæ familiarum Principi, Italiæ ſupremi Senatus Præſidi, &c.

VETVS INVALUIT conſuetudo (Excellētiſſime Princeps) vt literarij labores, ſacrarumque Muſarum ſeria Reipublicæ Principibus, inclytiſq; proceribus offerantur. Quapropter ipſe opus de Iure & Iuſtitia diſtributiua edere cupiens, Excellentiæ tuæ hos primos laborum meorum fructus dicandos putaui: vt nimirum ingenij mei tenuitas tanto ſub nomine, ſeu potius numinis clypeo corroboretur. Accedit etiã, quòd animus, iam pridem flagranti quodam deſiderio accenſus, deuotionis & reuerentiæ in te ſuæ ſignum aliquod ardeat præſeferre: Et ſanè

cui iuſtiùs opus Iuſtitiæ dicare potuiſſe, quàm tibi iuſtiſſime, & integerrime Princeps, qui ad eam colendam te totum ſemper conuertiſſe videris? Nec tamen hoc à me factum, vt hinc iuſtitiæ integritatem haurires, & quaſi ignota, ea perdiſceres documenta, quæ omnes docere potes; ſed vt tanquam in ſpeculo, tuæ iuſtitiæ ac integritatis imaginem ad viuum expreſſam, attentiùs per otium contemplareris. Te nanque tuæ virtutes magis oblectant, quàm eximius ille generis ſplendor; innumerabiles illi abauorum triumphi, quibus antiquiſſima, ac nobiliſſima tua ſplendet familia, Regio Luſitanorum propagata ſanguine; ex qua, tanquam ex Equo Troiano, tot magnanimi Heroes, tot præclariſſimi Principes ac Duces, bello paceque inſignes prodiere; inter quos frater ille tuus Excellẽtiſſimus Turriſanæ Dux multis prælucet, qui pace inter Paulum Pontificem, Venetoſque compoſita: multos per annos magna cum gloria, Oratoris officio Romæ perfunctus eſt; & demum ad vtriuſque Siciliæ regimen glorioſiùs permotus. Verùm hæc antiquorum, recentiorumque ornamenta,

tan-

tanquam tibi cum multis communia, vel contemnis omnino; vel certè paruipendis; quippe qui tot proprijs animi corporiſq; dotibus inſigniris, vt eas nemo prorſus enumerare valeat, quarum ſingulæ quemcunque inſignem præclarumq; reddere poſſunt. Alios enim maiorum ſimulacra decorant; alios gloria ſuomet parta labore, ad aſtra vſq; tollit; alios Regnorum, Prouinciarũquè gubernacula cõmendant; alios litterarum donũ laudat. Tu vnus, inclyte Princeps, ijs palàm omnibus condecoraris. Quanta enim à te præclarè geſta, dum ſupremo præeras Indiarum Senatui, quãtaq; dum Proregem Neapolitanum agebas, memoratu digna referũtur? Quanta ſolertia, quantaq́; cura à te frequenter adhibita, ad ſubleuandas præſertim regias opes? maxima ſanè, adeo, vt quam tot prædeceſſores tui minimè valuerunt reperire medelam, tu ſolus afflictis rebus adhibuiſſe opportunam videare. Quippe qui vrbes, & municipia totius Regni Parthenopæi grauiſsimo ære alieno oppreſſas, ac proinde ruinam minantes, penitus liberaſti. Ac magiſtratuum decorem multis auaritiæ

¶¶ 2 *ſordi-*

ſordibus deformatum, in priſtinum reſtituiſti. Multaq; alia præclara peregiſti, quæ, ne vaſtum pelagus tuæ Celſitudinis aggrediar, prætermitto. Cùm præſertim cuncti fateãtur, cuncta ſemper adeò egregiè à te geſta fuiſſe, vt rebus geſtis nulla honoris ac ſplendoris acceſsio ab alio fieri poſſe credatur. Hac etiam de cauſa prætermitto, quanta à te ſummi Italiæ Senatus clauum tenente, nobis vtilia, tibi decora promittuntur. Nec tamen ſilentio prætereunda eſt illa animi tui ingenuitas, quâ veluti alter Mœcenas, literis vacantes, ipſarũq; cultores amplecteris, foues, defendis, atque extollis. At cùm magnos Principes potiùs colere, quàm laudare debeamus, Excellentiſsime Heros, vbi lingua calamuſque deficit, ſuppleat animus precor. Vale.

Excellentiæ Tuæ.

Deuotiſsimus ſeruus, ac Capellanus.

Doctor D. Natalis Schittinus.

Ad

Digitized by Google

Ad Lectorem.

DVÆ SVNT IVSTITIÆ partes (benigne Lector) quibus vniuerſa Reſpublica, & prudenter gubernatur, & fœliciter augetur, ex communi ſententia Theologorum, Philoſophorum, & Iuriſtarum; Præmium ſcilicet, & Pœna; quæ cùm in Principe, fauente numine, regnare contingit, tunc fœlicitas ciuium, tunc Reipublicæ ſalus, tuta eſt. Quapropter, cùm ipſe aliquid ſtudiorum meorũ, pręcipuè ex lecturis, prælectis, & agitatis in publicis Academijs Valliſoleti, edere cuperem: occurrit illicò, nihil vtilius, nec præſtantius tractare me potuiſſe, quàm de Iure & Iuſtitia diſtributiua. Quorum vnum bona communia, præmia, & honores, congrua proportione diſtribuit. Alterum pęnas, & ſupplicia debita reprobis præſcribit. Quamobrem (inquit Iſidorus) *Factæ ſunt leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, refrænetur nocendi cupiditas, tutaque ſit inter improbos innocentia.* Et re vera, ſi leges tollantur, quæ bonis præmium, malis ſupplicia decernunt, quid reliquum eſt in Republica, niſi confuſio, & perditio illius? Quid ſupereſt, niſi reprobos, proprio arbitratu, in detrimentum aliorum viuere: eò quòd ſine timore, ſine honeſtate, ſine iuſtitia, ſine Deo, omnia ruant.

Verum fateor, hac in re me multùm laboraſſe, multùmque ſtuduiſſe, diuque dubitaſſe, & ancipitem fuiſſe, an diſputationes has in publicum ederem, vel potiùs ſup-

primeré. Quia ex vna parte rei magnitudo, & ingenij mei tenuitas perſtringebãt me; terrebant q; multa alia, & præſertim, quia nõ ignorabã, quàm periculoſum ſit anceps iudicium hominũ ſubire, & in eorũ manibus, & oculis verſari, qui leuibus interdũ maculis offendũtur. Ex aduerſo, fortiſsimę, fideleſq; rationes amicorũ me cõpellebant, oſtendebãtq; hãc prouinciã mihi maximoperè expedire. Quibus tandem conuictus, prætermiſsis fluctuationibus, quæ mihi ante oculos verſabantur, eam ſubeundam ſuſcepi.

Et vt rem aggrediar, hoc opus in duos libros diuiſi. In primo libro, ea quæ de Legibus in tanta latitudine, & varietate diffuſa ſunt, in octo diſputationes perſtrinxi. In ſecundo libro, quæ de Iuſtitia Diſtributiua agitãtur, in quatuor cõtrouerſias epilogaui; quas deinde in ſuos articulos, & numeros ſubdiuiſi. Vltimo loco, diſputationẽ vnicam de Opinionibus ſequendis in quacumque re intertexui. Nullam maiorem adhibui curam; quàm eam ſententiam proponere, quæ magis fuerit communis, magis tuta, magis approbata, magis ſecura, magiſq; ſolida; eamq; auctoritatibus diuinis, ſanctorum Patrum, ſacrorũ Canonum, Iuriũ, & Cõciliorum teſtimonijs, ac pręcipuis rationibus comprobatam patefacere; Breuitatẽ, claritatẽ, ordinem, & diſtinctionẽ, ſuper omnia ſectatus; ſtylũ non vulgarem, ſed ſcholaſticũ & doctrinalẽ, prout in Academijs in omni facultate frequẽtatur, & à D. Th. ſuſceptũ ſequutus ſum. In rebus claris authores multos nõ adduxi. Lectorem dubium in ambiguis non reliqui. Multitudinẽ textuum de induſtria vitaui, & tantùm paucos & firmiores propoſui. Deũ conteſtans, nullũ aliũ laborũ horum finẽ, ſcopumve me habuiſſe, quã bono cõmuni, & ſaluti animarũ conſulere, & ipſi famulatũ aliquem præſtare. Cæterùm ſi primos hos tibi placuiſſe ſenſero, ſecũdos, illo adiuuãte, adiũgẽdos promitto. Et ſi quid erratũ fuerit, boni cõſule *Vale.*

PRÆ-

9

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO IN TRACTATVM de legibus.

SVMMARIVM.

DEclarantur variæ ſignificationes nominis Iuris, num. 1.

Declarantur variæ ſignificationes nominis Legis, numer. 2.

Declarantur variæ ſignificationes nominis Iuſtitiæ, nu. 3.

Tractant de legibus Theologi, Philoſophi, & Iuriſperiti, & in quo differant, num. 4.

Scriptores de legibus oſtenduntur, num. 5.

IN Omni diſputatione, teſte Ariſtotele, in qua rei alicuius ratio inueſtigatur, cùm vſus nominis ſit varius, vt omnis ambiguitas vocabuli tollatur, priùs diſtinguendum eſt. Hoc in præſenti, nobis contingit, dum naturam Iuris, ſeu Legis inueſtigare cupimus, propter diuerſitatem, & acceptionem horum nominũ, Iuris, Legis, & Iuſtitiæ, quæ diuerſam rem frequenter ſignificare ſolent. Ideò à diuiſione noſtrum exordium ſumendum erit.

1 Ius ergo, primò, varias habet ſignificationes: & multipliciter accipitur. Significat locum forenſem, in quo lites agitantur: ſignificat etiam ſententiam iudicis, & ipſam artem iudicandi: ſed prætermiſsis prædictis ſignificationibus, propriè hoc nomen Ius, legem, ſeu regulam ipſam Iuris denotat, & ſecundùm hanc ſignificationem, loqui-

tur Gratianus multis in locis, & frequenter aſſeritur, hoc eſt de iure diuino, hoc de iure naturæ, hoc de iure poſitiuo, id eſt, hæc regula, ſeu lex iuris diuini poſitiui, vel naturalis eſt. Significat etiam ius, æquitatem ipſam, & opus, ad quod terminatur actio iuſtitiæ, id eſt, ſumitur ius pro illa re iuſta, quæ efficitur per actionem iuſtitiæ. Hæ duæ vltimæ ſignificationes ſunt propriæ, & frequentiores. Reliquæ ſupradictæ, impropriæ dicuntur. Ita Aragonius de iuſtitia, & iure, q. 57. art. 1. Rebellus de obligationibus 1. p q. 1.

2 Lex, quoque, varias ſignificationes habet, ſed ad tres reduci poſſunt. Primò accipitur lex, largè, & impropriè, quatenus ſe extendit ad homines, ad animalia, & inſenſibilia, quæ etiam ad ſuos fines lege mouentur, & etiam ad pacta, & conditiones, quæ in contractibus apponuntur; nam dicimus: hac lege cõtraho tecũ, id eſt, hac cõditione. Secundò accipitur lex nimis ſtrictè ad ſignificandam quandam ſpeciem iuris, quæ in ſcriptis traditur, vt in c. ius generale, diſt. 1. Tertiò lex accipitur propriè, quatenus ſignificat præceptum, ſeu regulam communem communitati propoſitam, ab eo, qui poteſtatem habet leges ferendi, & in iſta vltima ſignificatione accipitur à nobis lex in præſenti; ita Lorca de legibus in præfatione.

3 Tandem Iuſtitia, duobus modis ſumitur: vno modo communiter: quatenus generalis quædam virtus eſt, complectens omnes virtutes morales: & in hoc ſenſu Ariſt. 5. Ethic. c. 1. *Iuſtitiam, totam virtutem vocauit.* Alio modo ſumitur Iuſtitia propriè, quatenus eſt quædam virtus moralis, & vna ex quatuor virtutibus Cardinalibus, cuius proprium munus eſt, debitum vnicuique reddere, & æqualitatem in omni negotio inter ciues conſtituere: & in iſto ſenſu loquimur de iuſtitia in præſenti. Ita Rebellus

ſius de obligationibus 1. part. quæſtion. 1. ſection. 2.
4 Sciendum eſt quoque, quòd communis eſt diſputatio hæc de legibus, Theologis, Iuriſperitis, & Philoſophis moralibus, ſed diuerſa eſt ratio diſputandi. Iuriſperiti de legibus tractant, quatenus ordinant homines ad communem pacem Reipublicæ: Philoſophi morales ferè eodẽ modo, quatenus pertinent ad ordinem naturæ, & vt ſunt principia, & regulæ dirigentes actiones humanas ad vitam Ethicam, Polyticam, & Oeconomicam. At verò Theologi tractant de illis, quatenus ordinant, & dirigunt nos ad æternam illam felicitatem, quæ in Dei viſione conſiſtit. Differunt ſecundò non ſolùm in fine, ſed etiam in cauſa efficienti: nam Iuriſperiti conſiderant leges, & eodẽ modo Philoſophi, quatenus ab hominibus ſunt conſtitutæ, vt in l. 1. ff. de iuſt. & iur. Theologus autem tractat de eis, quatenus Deum habent auctorem, & ab eo deriuantur, ſecundùm illud Iſaiæ, cap. 35. *Dominus iudex noſter, Dominus legiſer noſter.* Differunt tertiò. nam Iuriſprudentes, ſecundùm peculiarem finem diuiſi ſunt. Ius Cæſareum tractat de eis, quatenus componunt pacem in exteriori Republica: Ius Põtificium, quatenus eam componũt in Republica Chriſtiana, & Eccleſiaſtica: Ius autẽ Theologorum, quatenus docẽt benè, & feliciter viuere in ordine ad Rempublicam cæleſtem. Cum hoc tamen ſtat, quòd methodus, & ratio diſputandi de legibus, in Theologia, altior & latior eſt: nam, non ſolùm Theologi tractant de lege diuina, verùm de lege naturali, & ciuili, in ea parte, quæ cum Philoſophis moralibus, & cum Iuriſperitis communem habent materiam: tum etiam, quia omnes leges à lege diuina deriuantur, vt infra copioſiùs patebit. Ita tenet Lorca in dicta præfatione de legibus, Suarez, & alij.

Digitized by Google

5 De legibus denique copioſiùs ſcripſerunt, & diſputāt Alexand. Ales. 3. p. Guillermus Pariſius in lib. de legibus, Gerſon in libro de poteſtate Eccleſiæ. Alphonſus de Caſtro in duobus libris de lege pœnali, Magiſter ſententiarum, & Scholaſtici, qui eum ſequuntur, Sanct. Thom. vberrimè, vt ſolet, & exactè in 1. 2. & Commentarij, inter quos, Sotus in duobus primis lib. de iuſt. & iur. Suarez, Vazquez, Lorca, Medina. Et Iuriſperiti ſcripſerũt de legibus in. C. & in ff. Plato ſcripſit de eis 10. Dialogos, Cicero tres libros, Ariſtot. in Moralibus, & nos breuiter, & compendioſè de illis diſputabimus.

(.?.)

DE

DE LEGIBVS IN COMMVNI.

DISPVTATIO Prima.

IN QVATVOR Articulos diuiſa.

In hac prima diſputatione, more Ariſtotelico, agitur de legibus in communi; necnon de cauſis, & reliquis eſſentialibus, & neceſſarijs illarum, anteaquàm de eis in particulari ad tractandum deſcendatur.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, numer. 1.
Proponuntur tria argumenta contra quæſitum, n. 2.
Conſtituitur, & probatur concluſio, quòd lex eſt quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata, nu. 3.
Conſtituitur alia diffinitio, nu. 4.
Oſtenditur denominatio legis, nu. 5.
Quòd lex ſit effectus potiùs intellectus, quàm voluntatis, oſtenditur, nu. 6.
Leges in triplici ſtatu, vel ſubiecto conſiderari poſſunt, nu. 7.
Satisfit argumentis propoſitis, nu. 8.

Digitized by Google

ARTICVLVS. I.

1 *Vtrùm lex ſit quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.*

2 PRimò contra prædictam diffinitionem argumentor ſic. Priuilegium, lex priuata dicitur, vt in c. priuilegium, diſt. 3. Sed priuilegium in priuati cõmodum inſtituitur priuilegiati: ergo lex non eſt rationis ordinatio ad bonum commune.

2. Argumentor auctoritate D. Pauli ad Rom. cap. 2. qui ait: *Gentes, quæ legem non habent, ea quæ legis ſunt, faciunt, & ipſi ſibimet ſunt lex*, ſed hoc communiter de omnibus dicit: ergo quilibet poterit facere ſibi legem, & ſic non requiritur, vt lex facta ſit ab eo, qui curam communitatis habet.

3. Contra vltimam partem diffinitionis argumentor ſic. Lex naturalis, vera lex eſt, & obligat vniuerſos, quæ tamen nulla indiget promulgatione, cùm neque in ſtatu innocentiæ, neque poſt, fuerit talis lex promulgata: ergo promulgatio non eſt de ratione legis.

3 His argumentis non obſtantibus, Concluſio eſt. *Optima eſt diffinitio legis ſupra aſſignata.*

Probatur, quòd ſit optima diffinitio, auctoritate Ariſt. lib. 6. Topicor. & 4. Phyſicorum, vbi enumerantur omnes proprietates, & conditiones, quas debet habere optima diffinitio, ſcilicet, quòd conſtet ex genere, & differentia: quòd explicet totam eſſentiam, & naturam rei diffinitæ: quòd competat omnibus contentis ſub ea: quòd faciat differre rem diffinitam ab alijs rebus: quòd conuertatur

cum

Digitized by Google

cum ſuo diffinito: & quòd ea poſita ſoluantur omnes difficultates illius rei; ſed omnes hæ proprietates reperiuntur in ſupradicta diffinitione. Primò, conſtat ex genere, & differentia, nam rationis ordinatio ſe habet, vt genus, & reliquæ partes vt differentiæ. Secundò, eſt breuis legum explicatio, & explicat totam naturam, & eſſentiam legum. Tertiò, competit omnibus legibus. Quartò, facit differre legem à non lege, & conuertitur cum ſuo diffinito. Quintò, ea poſita, ſoluuntur omnes difficultates. Et tandem eſt doctrinalis, nam exprimuntur per eam genus, cauſa finalis, efficiens, & formalis, vt in ſequentibus videbitur: Ergo optima eſt diffinitio: ita S. Tho. 1. 2. q. 90. artic. 4.

4 Sed vt iſte articulus benè intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd à diuerſis Doctoribus diuerſæ conſtituuntur diffinitiones ipſius legis, de quibus vix aliqua videtur omni legi conuenire, vt ait Valentia, qui eas refert. to. 2. diſput. 7. de lege, p. 2. & propter hoc, illis omiſsis, tantùm duas, quas conſtituit S. Tho. referam. Vna eſt ſupradicta in concluſione: altera eſt. *Lex eſt quædam regula, & menſura, ſecundùm quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur.* Quæ diffinitio, licèt ſit clara, & bona, eſt tamen aliquo modo generalis, & ad omnes leges proprias, & improprias refertur: nam vnaquæque res ſuam regulam, & menſuram habet, ſecundùm quam operatur, & inducitur ad agendum, & retrahitur, & propter hoc prima diffinitio magis propria, & doctrinalis eſt: ita S. Thom. vbi ſupra, artic. 1. & 4.

5 Supponimus ſecundò, quòd hoc nomen *Lex* ob varias proprietates, & qualitates, quas continet, non vno modo ab omnibus deriuatur, ſed ab alijs aliter atque aliter:

Digitized by Google

ter deducitur,& præſertim Iſidorus, lib. 5. Ethim. cap. 3. voluit, quòd lex à legendo paſsiuè deriuetur, eo quòd ſcripto profertur, vt legatur ab omnibus. D. Thom. in præſenti dicit, quòd lex dicitur à ligando, eo quòd obligat ad agendum id, quod præcipitur. Cicero verò lib. 1. de legibus, ſentit, legem à legendo actiuè dici, quia eligit, ſeu deligit quid agendũ, vel omittendum. Ex quibus denominationibus colligũtur duæ virtutes in ipſis legibus; videlicet dirigere, ſeu illuminare; & altera, obligare, & ſic, Lex eſt regula ſeu menſura, quæ nos dirigit, ſeu illuminat, & obligat, vt quod agendum eſt, agamus, & quod omittendum eſt, omittamus.

6 Supponimus tertiò, vt aggrediamur perfectam diffinitionis explicationem. Sciẽdum eſt, quòd inter Doctores Scholaſticos, maxima eſt controuerſia, ſi lex ſit effectus, & opus rationis, an potiùs volũtatis, nam ex hac determinatione reſultat ratio quædam communis, quæ eſt veluti generica ipſius diffinitionis. Et licèt aliqui dicant probabiliter, legem opus eſſe voluntatis, & non intellectus: Sanctus verò Thomas è contra in 1. 2. quæſt. 90. art. 1. probabiliùs docet, legem eſſe effectum, & opus intellectus, ſeu rationis, & non voluntatis. Quod probat, & oſtendit teſtimonio plurimorum Philoſophorum, ſanctorum Patrum, Iurium, & rationum. Et adhoc declarandum, ſciendum eſt, quòd plures ſunt effectus intellectus, & voluntatis, qui concurrunt ad ipſam legem conſtituendam. Primò, ad legem pertinet ordinare, & propter hoc dici ſolet: Lex eſt ordinatio rationis, & iſte effectus eſt intellectus. Secundò, leges habent illuminare: illuminare, & illuſtrare eſt opus quoque intellectus. Tertiò, lex eſt regula: ſed regulare opus eſt intellectus. Quartò, lex habet dirigere homines in ſuos fines: dirigere, & mouere ad

finem

Digitized by Google

finem eſt opus voluntatis. Ex quibus colligitur, certiſſimum eſſe, & abſque controuerſia; quòd ad leges conſtituendas à Legislatore, neceſſe eſt operatio ipſius intellectus, & voluntatis. Sed quia maiores ſunt effectus, & proprietates pertinentes ad intellectum, quàm ad voluntatem ad ipſam legẽ conſtituendã, vt oſtenſum eſt; propter hoc dicendum eſt cum Sancto Thoma, leges principaliter opus eſſe intellectus, & ſecundariò voluntatis: ita Doctores, & Lorca ſupra citati.

7 Aduertendum eſt tandem, quòd leges in triplici ſtatu vel ſubiecto cõſiderari poſſunt. Primò in ipſo legislatore, & ſecundùm hoc dicimus, legem æternam fuiſſe conceptam in mente diuina ex æternitate. Secundò, conſiderari poteſt, prout eſt in ſubditis, in quibus imponitur, & ſecundùm hoc dicimus, legem naturalem eſſe inditam in mentibus hominum. Tertiò poteſt conſiderari lex, prout eſt in aliquo ſigno, ſeu in aliqua ſcriptura exteriori, vel in voce manifeſtante voluntatem ſuperioris per illam legem.

8 Non obſtant modò argumenta in contrarium adducta. Non primũ, nam reſpondetur, quòd licèt priuilegium principaliter in priuatum commodum inſtitutum ſit, tamen ſecundariò, & per redundantiam refertur ad bonum commune, & hoc ſatis eſt, prout in ſequenti articulo declarabitur, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum deſumptum ex auctoritate Diui Pauli; nam reſpondetur, legem in homine dupliciter exiſtere poſſe; vno modo in regulante legislatore: alio modo in regulato ſubdito, & in iſto caſu auctoritas Diui Pauli loquitur, dum dicit: *Gentes, quæ legem non habent, ea quæ legis ſunt, naturaliter, &c.* Nam addit legem illam ſcriptam à Deo ipſo ſummo conditore, & ſic ipſi faciunt,

ciunt, quæ à Deo conſtituuntur, & ſoluitur ſecũdum.

Non obſtat tertium: nam reſpondetur, quòd Lex naturalis ſufficienter hominibus promulgata eſt per lumen rationis naturalis: quapropter in ſtatu innocentiæ clareſcente naturę luce, nulla fuit opus exteriori promulgatione, niſi quoad vſque poſt peccatum, mens hominum obtenebrata eſſet, & tunc neceſſe fuit, vt per legẽ ſcriptam pręcepta naturalia explicarentur, vt infra ſuo loco videndum erit, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, nu. 1.

Proponuntur duo argumenta contra quæſitum, n. 2.

Declarantur varij intellectus Doctorum, quomodo lex pro communi bono feratur, nu. 3.

Conſtituitur concluſio, & probatur, quòd de ſubſtantia Legis eſt, vt pro communi bono feratur, nu. 4.

Declaratur, quomodo Lex non teneatur reſpicere ad caſus particulares, qui de raro, & in paucioribus, & per accidens eueniunt, nu. 5.

Declaratur cauſa efficiens, ad quam ſpectat condere leges, nu. 6.

Conſtituuntur aliquæ proprietates pertinentes ad cauſam efficientem, nu. 7.

Conſtituitur cauſa materialis, circa quam verſantur leges, nu. 8.

Conſtituitur differentia inter legem, præceptum, priuilegium & ſententiam, nu. 9.

Satisfit argumentis propoſitis, nu. 10.

Digitized by Google

A R T I C V L V S.

Vtrùm de ſubſtantia legis ſit, vt pro communi bono feratur.

PRimò pro parte negatiua argumentor, & probo, quòd de ſubſtantia legis non eſt, vt pro communi bono feratur, ſic. Multę ſunt leges, quæ in bono priuato perſonarum ordinantur, vt leges pupillorũ, leges militũ, & ſimiles; vt in l. 1. ff. de iuſt. & iur. in §. huius ſtudij, inſt. codẽ tit. in l. 2. ff. de conſtitutionibus, in c. licèt, de regularibus, cum alijs, in quibus iuribus continetur, quòd leges quædam ſunt, quæ ad commune bonum ordinantur, & aliæ circa priuatum bonum ſingulorum, ergo non ſolùm de ſubſtãtia legis eſt, vt pro cõmuni bono feratur.

Secũdò argumẽtor ſic. Locupletari nemo debet cũ iactura aliena, vt in regula locupletari, de regulis iur. lib. 6. ſed plures leges ſunt, quæ in damnũ, & detrimẽtum aliorum inſtituuntur, vt leges præſcriptionis, & vſucapionis, & ſimiles: ergo verum non eſt, quòd leges pro communi bono ferantur.

3 Sed antea quàm concluſionem conſtituamus: aduertendum eſt primò, quòd circa intelligentiã iſtius articuli, variæ ſunt Doctorum expoſitiones, & vnaquæque vera eſt, & doctrinam, & proprietatem aliquam legis explicat. Quidam enim dixerunt, Legem debere eſſe pro communi bono inſtitutam, & non pro priuata vtilitate ipſius Legislatoris; alioquin erit iniqua, & non vera Lex. Et ratio eſt, nam Reges & Principes, qui leges ferunt, vel à Deo, vel à communitate deputati ſunt, vt communem Reipublicæ pacem conſtituant, & tueantur, ergo ad hunc finem, & nõ aliũ debent vti ſua poteſtate, & iuriſdictione,

Digitized by Google

vt tenēt Sotus de Iuſtitia & iure, lib. 1. q. 1. art. 2. Medina in 1. 2. q. 90. art. 2. cum alijs. Alij verò dixerunt, quod Iſidorus, in c. erit autem lex, 4. diſt. dum dixit, quòd *Lex debet eſſe pro communi bono*, intellexit proprietatem neceſſariam legis explicare, videlicet, quòd lex eſt cõmune præceptũ, plura, & non vnum tantùm, aut alterum cõprehendens, ſicut eſt priuilegium, præceptum, vel mandatum aliquod particulare, quod nomen legis non meretur, vt in l. iura, ff. de legibus, & in c. 1. de conſtit. S. Tho. verò, qui mentem Iſidori eo modo quo Iuriſperiti rectè intellexit, dicit, legem reſpicere bonum commune, & in illud, tanquam in finem ordinari debet, & in hoc Iſidorus poſuit cauſam finalem ipſius legis, cuius intuitu leges conſtituũtur, ita S. Tho. 1. 2. q. 90. artic. 2. Lorca de legibus, diſputatione 2. cum alijs.

4 Concluſio ergo eſt: *De ſubſtantia legis eſt, vt pro communi bono feratur.*

Probatur concluſio, diſcurrendo in omnibus legibus inductiuè: & de lege æterna, & naturali, ſatis clarum eſt; & etiam de diuina poſitiua, tam veteri, quàm noua, quòd pro cõmuni bono lata fuerit, illa pro Iudaico populo, iſta pro Eccleſia Catholica, & vniuerſo orbe. Probatur etiam de lege humana, rationibus ſubſequentibus. Prima ratio, nam lex eſt regula, & menſura actionum humanarum, quæ vniuerſales ſunt: ergo vniuerſalis debuit eſſe regula, & lex. Tum ſecundò, quia lex debet eſſe perpetua, & duratura, non erit perpetua ſi ad vnum referatur, nam eo mortuo ceſſaret lex, ſed debuit imponi cõmunitati, quæ eſt perpetua ſaltim per ſucceſsionem. Tum quartò, nam lex debet eſſe iuſta, & honeſta, ſed non eſſet iuſta & honeſta, ſi reſpiceret priuatum bonum contra commune, & nulla ratione legis nomen meretur, quæ pro priuato bono,

bono,& non pro communi fuerit inſtituta. Fulcitur hoc auctoritate Iſidori in d.c. erit autem lex,4. diſt. Platonis, Ariſto.& Ciceronis, & auctoritate Conſulti in l. 1.& 2 ff. de legibus, tex.in c.duæ ſunt 19.q.2.in c. licèt, de regularibus,in c.ſcias 7.q.1.& de iure regum,text.in l.9.tit.1.p.1. Et tenent hoc communiter doctores,S.Tho. in 1.2.q 90. art.2.Medina,& Caietanus d.artic.2.Sotus de iuſt.& iur. lib.1.q.1.art.2.Suarez de legib.lib.1.c.6.& 7.cum alijs.

Sed ad prædictam concluſionem intelligendam,ſciendum eſt,quòd finis,& intentio legis eſt, vt diximus,reſpicere ad bonum commune, & vt pro communi bono proferatur,licèt non attendatur,quòd aliquando in raris, in paucioribus, aut per accidens contingat, vt ex aliqua lege alicui damnum euenire poſsit,& ob id ſi legis intentio non perficitur in qualibet ſingularium, non ob id mutata eſt lex, quæ attendit ad ea,quæ frequenter eueniũt, nec leges ita ſcribi poſſunt, vt omnes caſus particulares comprehendãtur.V.g præcipit lex, quòd teſtamentũ minùs ſolemne,id eſt,ſine certo numero teſtium, & tabellione,non valeat,& pro infecto reputetur, nam intentio legis eſt,ne detur locus fraudibus, & dolis, cùm mortuus ſit homo teſtator, & pro ſe ipſo reſpondere non valeat. Contingit aliquando,quòd quis inſtituat teſtamentũ minùs ſolemne ſine fraude,& dolo,profectò tale teſtamentum nullum eſt: nam ratio, & intentio legis in iſto caſu particulari ceſſat, & eodem modo dicendum erit in matrimonijs clandeſtinis, quæ efficiuntur non præſenti parocho,& duobus, vel tribus teſtibus, vt in Concilio Trident.ſeſſ.24 c.1. & licèt ceſſet ratio legis in particulari,in prædictis caſibus,non tamẽ ceſſat in communi,ad quam iura attendunt,vt in l.ea,quæ raro, ff.de regul. iur. & tenet Lorca, vt ſupra cum alijs citatis.

Digitized by Google

Declarata cauſa finali ipſius Legis; ordo doctrinæ requirit, vt de cauſa efficiẽte dicamus. Condere ergo Leges, vel pertinet ad totã communitatem, vel ad publicã perſonam, quæ totius communitatis curam habet. Patet hoc inductiuè de omnibus legibus. Et de Lege diuina clarum eſt, à proximo Legislatore Deo procedere, veluti ab eo, qui ſupremũ dominiũ rerũ omnium cũ omni iure gubernandi, & regẽdi imperiũ habet, & homo naturaliter eſt ei ſubiectus, iuxta illud Iſai. c. 33. *Dñs iudex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter*. De Lege naturali quoque patet à publica Dei gubernandi poteſtate procedere. Similiter patet de Lege humana, nam Lex non eſt particulare præceptum, ſed commune, communitatem reſpiciens; ergo ab eo ſolùm conſtitui poteſt qui ſoli cõmunitati imperare valet, vt in c. cùm acceſſiſſent, in c. cũ in Eccleſ. Sãctę Marię, de conſt. in c. duo ſunt, in c. benè quidem. 96. diſt. ita tenet S. Thom. 1. 2. q. 90. art. 3. cum alijs.

7 Sed ad maiorem intelligentiã iſtius, quatuor inferẽda ſunt. Primò infertur, quòd poteſtas ferendi Leges primariò, & per eſſentiã reſidet in ipſo Deo, in hominibus autẽ cõmunicatur per quãdã participationẽ, iuxta illud Pſalmi. *Audite Reges, quoniã data eſt à Dño poteſtas vobis, nõ enim eſt poteſtas, niſi à Deo*. Infertur Secũdò, quòd poteſtas ferẽdi leges inter homines, in ſupremo capite, quodcũq; illud ſit, reſidet, aut ſit Reſpublica abſoluta, aut Imperator, aut Rex, aut Princeps, aut alius non recognoſcens ſuperiorẽ. Reſidet quoque hæc poteſtas in Romano Pontifice, non vt Vicario Reipublicæ, ſeu Eccleſiæ, ſed vt Vicario Chriſti. In alijs autem inferioribus ſupradictis hęc non reſidet, niſi tantùm erit in eis, quãtũ fuerit cõmunicata à ſupradictis ſuperioribus, vel ſi id habuerint cõſuetudine, vel priuilegio. Ita Suarez, lib. 1. c. 9. Infertur Tertiò, quòd licèt

Digitized by Google

in iure reperiantur plures leges à diuerſis Iuriſconſultis conſtitutæ, ordinatę, & inuentæ: tamen efficaciam habuerunt, non ab eis, ſed ab Imperatoribus, quorũ edicto promulgatę ſunt. Quartò infertur, quòd omnes habẽtes poteſtatẽ dominatiuam non poſſunt leges conſtituere, vt pater reſpectu familiæ, ſubditorum, & filiorum, neque vir reſpectu vxoris, nam præcepta eorum non diriguntur ad bonũ commune, neque vna familia poterit conſtituere bonũ cõmune: idẽ erit de magnatibus in ſuis oppidis, & de Abbatiſſa in ſuo monaſterio; licèt tamen pręcepta eorum obligant coram Deo, non tamen erunt leges: ita Medina, d. q. 90. art. 3. cum alijs.

Explicata cauſa efficienti, & finali legis, conſequens eſt, vt aliquid de cauſa materiali dicamus, nã de formali dicendum erit in Lege humana, dũ declarabimus formam ab Iſidoro in c. erit autem lex, 4. diſt. inſtitutam, & etiam dicemus de ea in ſequenti articulo, exponendo modum, quo Lex ferri debet, & promulgari: de materiali, modò non agimus de ſubiecto, quod vocatur materia, in qua, nã de hoc diximus in articulo præcedenti, nu. 7. tractando, ſi lex erat in intellectu Legislatoris, ſubdito vel extra, & ſi debuerat eſſe ſcripta, vel in voce, manifeſtante volũtatẽ ſuperioris: ſed inquirimus tantùm modò de materia, circa quam verſatur lex: Et omnes fatentur, leges verſari circa actiones humanas, nam Lex præcipit actiones humanas bonas, & prohibet malas, & ſi aliquæ ſunt actiones indifferentes, quæ ad certum finem conſequendum ſunt idoneæ, præcipit, & prohibet eas, quæ finem conſequendum impediunt, vt patet hoc inductiuè in omnibus Legibus: Lex naturalis iubet Deum colere, parentes honorare, neminem lædere, & ſimilia, qui actus ex natura ſua boni ſunt: prohibet autem furtũ, adulterium, fornicationẽ, homi-

homicidiũ, & ſimilia, qui actus ex natura ſua mali ſunt:& idẽ eſt de lege poſitiua,tã diuina,quàm humana,quia ſemper pręcipiũt aliquẽ actũ ad finẽ bonũ,& prohibent malũ.

9 Ex dictis in præſenti articulo colligimus differentiam, quę eſt inter legẽ,pręceptũ,priuilegium,& ſententiã,quę omnia,licèt aliquã ſimilitudinẽ cum lege habeãt, ab ea tamen valde differunt.Præceptũ,vel mandatũ differt à Lege.Primò,quia præceptum, vel mandatũ non imponitur cõmunitati,ſed priuatis perſonis.Secundò,quia pręceptũ nõ fertur auctoritate publicà,licèt feratur à Principe,vel à Republica.Tertiò,quia Lex perpetua eſt,præceptũ verò finitur morte pręcipiẽtis.Priuilegiũ differt à Lege,quia priuilegiũ eſt exemptio quædam à Lege , & iuris cõmunis:vel eſt cõceſsio extra ius cõmune;vel differt ſecũdùm Iſidorũ lib.1.c.28.Nam priuilegiũ dicitur,non quia priuata auctoritate fertur ,ſed quia priuatã perſonam reſpicit, &priuatas actiones diſponit,Lex autẽ è contra.Sententia differt à Lege,nam licèt publica auctoritate feratur, non autẽ illa ſuprema Principis requiritur in ea, quæ ad leges ferendas neceſſaria eſt, & potius ſententia executio Legis circa priuatas perſonas nuncupandá eſt,quàm Lex:ita tenent Doctores ſupra citati.

10 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta; non primum deſumptum ex pluribus iuribus , nam reſpondetur , quòd licèt leges ordinentur , & reſpiciant per ſe primò bonum commune , aliquæ tamen ſunt, quæ ordinantur per ſe primò ad bonum particulare , vt ſunt leges militum,leges pupillorum,& ſimilium:ſufficit tamẽ quòd aliquo modo,licèt ſecundariò,prædictæ referantur & ordinentur ad cõmune bonum, prout ſolet eſſe etiam priuilegium,vt dicatur eas etiam pro communi bono inſtitutas eſſe,& hoc ſufficit,& ſoluitur primũ argumẽtum.

Non

Non obſtat ſecundum deſumptum ex regula locuplė ari, de regulis iuris, lib. 6. nam reſpõdetur, quòd licèt ve- um ſit, quòd in aliquo caſu particulari leges deficiant, nã ıon accedunt ad id, quod in raris, in paucioribus, aut per ccidens fiunt, & eueniunt: neque ad damnum, quod ex is alicui euenire poterit, vt eſt in præſcriptione, & vſu- apione. ſufficit & ſatis eſt, quòd non deficiant in cõmu- ii, & quòd ad commune bonum reſpiciatur, prout reſpi itur in præſcriptionibus, & vſucapionibus, ne dominia emaneant diù derelicta, vt in titulo de præſcriptionibus idendum erit: & ſoluitur argumentum & articulus.

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli num. 1.
Proponuntur duo argumenta num. 2.
Conſtituitur concluſio, quòd promulgatio de eſſentia legis eſt, & probatur, num. 3.
Id publicationem legis humanæ duo neceſſaria requiri, oſtē ditur, num. 4.
eges diuinas à Deo tribus modis promulgari poſſe, oſtendi- tur, num. 5.
Deducuntur quatuor neceſſaria circa promulgationem le- gis, num. 6.
atis fit argumentis propoſitis, num. 7.

ARTICVLVS III.

Vtrùm promulgatio ſit de ratione legis.

PRimò, pro parte negatiua argumētor ſic. Lex vet' ceſſauit per mortem Chriſti, cùm dixit in Cruce: *Conſummatum eſt*, ac ſubinde obligatio nouæ

legis tunc intrauit, quia ceſſatio vnius fuit, alterius inchoatio, aliàs mundus abſque lege diuina, per aliquam tẽporis moram exiſteret, quod dicendum non erit; ſed tũc promulgatio legis nouæ, nulla facta fuit, niſi vſq; ad Pẽtecoſtem: ergo obligatio legis non pendet ex obligatione promulgationis.

Secundò argumẽtor. Lex diuina, quæ præcipit baptiſmi neceſſitatem, obligat omnes homines, & tamen non omnibus eſt promulgata; ſunt enim multi infideles, qui nihil prorſus audierunt de Euangelio, in quo lex baptiſmi continetur, & excuſantur tamen iſti ex ignorantia inuincibili: ergo promulgatio non eſt neceſſaria & de ratione legis.

3 His argumentis non obſtantibus, concluſio eſt: *Promulgatio de eſſentia legis eſt, quæ niſi ſufficienter promulgata ſit, vim & vigorem legis habere non poteſt.*

Probatur concluſio: Nam eſſentia legis conſiſtit in eo, vt ſit regula, & præceptum commune, dirigens & obligans homines: vt autem habeat vim dirigendi, & obligandi, neceſſe eſt, vt promulgetur, quia aliter non poterit venire in notitiã ſubditorum, niſi illis ſit cognita: non poterit eſſe cognita, niſi promulgetur: ergo promulgatio de eſſentia legis eſt. Patet hoc etiam inductiuè, deſcendendo per omnes leges. Et primò de lege naturali, quæ omnibus hominibus eſt ſufficienter promulgatã per lumen rationis naturalis inſitum in ſingulis hominibus ab auctore naturæ, iuxta illud Pſalmi: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Conſtat quoque, de lege diuina veteri, quæ magnis ſignis & prodigijs promulgata fuit, vt in c. 19, & 20 Leuitici. Et de lege noua conſtat in Actibus Apoſtolorum cap. 2. quando per publicum & admirabilem

:m aduentum Spiritus ſancti promulgata fuit: *Factus* *repentè de cælo ſonus*, & rurſus: *Conuenit multitudo gen-* *um ex omni natione*, ad oſtendendum maximam mani- ſtationem fuiſſe in lege iſta. De lege veteri patet etiā iſſe promulgatam verbo, & ſcripto, vt Sanctus Tho- as tenet, & infra patebit. De lege humana, manifeſtum ſt etiam ex vſu, quo ab omnibus receptum eſt. Fulci- ur hoc etiam auctoritate plurimorum iurium, text. in .1. de poſtulatione prælatorum, tex. in c. in iſt.s, diſt. . in authentico, vt factæ nouæ conſtitutiones, col. 5. 1 l. leges, C. de legibus. Tenent hoc communiter Doctores, S. Thom. 1. 2. quæſt. 90. artic. 4. Sotus de iuſti- ia & iure lib. 1. quæſt. 1. artic. 4. Suarez de legibus lib. . cap. 11. Lorca de legibus, diſput. 2. Vazquez diſputa- ione 155. Caietanus, & Medina in 1. 2. dicto art. 4. cum lijs.

Sed vt iſte articulus intelligatur, aliqua ſupponenda int. Primò ſupponimus, quòd hæc conditio promul- ationis, ab omnibus ferè Doctoribus, vt eſſentialis oſtulatur. Et licèt leges omnes non eodem modo romulgentur, nam alia eſt promulgatio legis æter- æ, alia legis naturalis, alia legis poſitiuæ diuinæ, & lia legis poſitiuæ humanæ: tamen ad promulgationem gis humanæ, duo ex communi vſu requiruntur. Pri- iò, vt legiſlator exteriori, & ſenſibili ſigno ſuam vo- intatem proponat ſubditis, cum tanta temporis lati- idine, vt moraliter poſsit ad notitiam totius commu- itatis deuenire. Requiritur ſecundò, vt promulga- io ſolemni ritu facta ſit; nam non poſſunt aliter ſub- iti cognoſcere voluntatem Principis præcipientis, & cundùm eam dirigere ſuas actiones, niſi ſit illis externo gno lex propoſita, & manifeſtata. Neq; cēſetur Princeps

illam proponere & manifeſtare, vt publica perſona, cum poteſtate & imperio, niſi ſolemniter eam propoſuerit toti communitati: ita Suarez, & Vazquez, cum alijs ſupra citatis.

5 Supponimus ſecundò, quòd licèt oſtenſum ſit, promulgationem legis eſſe ita neceſſariam, & eſſentialem in omni lege, diuina, vel humana, ita vt ſubditi ad eam ſeruandam non teneantur, niſi eis lex proponatur & publicata fuerit, & quòd notitia & publicatio illius ſit externa, ac ſenſibilis cum ſolemnitatibus ſupradictis, eſt hoc valde vtile, & neceſſarium & accommodatum hominibus, pro multitudine, ſeu communitate humana: ſed nõ eſt adeò præciſa & neceſſaria in legibus diuinis, nam promulgatio illarum à Deo tripliciter fieri ſolet. Primò, per externam propoſitionem tantùm, ſine ſolemnitate, prout factũ fuit in multis mandatis & præceptis publicis à Chriſto propoſitis Apoſtolis per externam tantùm loquutionem ſine ſolemnitate vlla. Secundò, fieri poteſt promulgatio à Deo per externam propoſitionem, adhibita ſolemnitate promulgationis, prout lex Moſayca promulgata fuit Iudæis, & lex Euangelica Chriſtianis, vt n. 3. dictum eſt. Poterit & tertiò à Deo fieri promulgatio per priuatam & interiorem publicationem, nam ipſe Deus vt ſupremus Dominus ſufficienter ſic ſuam voluntatem patefacere poteſt & nos obligare ſine vlla ſolemnitate, & exteriori ſenſibilitate promulgationis, vt factum fuit in lege naturę: ita Suarez, & alij, vt ſupra.

6 Supponimus tertiò, quòd quatuor neceſſaria circa promulgationem legis deducuntur. Et primum eſt, quòd vt lex habeat facultatem obligandi ſubditos, neceſſe eſt, vt promulgetur, non tantùm in curia Principis, ſed requiritur, quòd promulgetur etiam in omnibus regni locis in ſigno-

ſignioribus:& ratio eſt,nã cùm lex ſit regula generalis,ab omnibus neceſſe eſt,vt generaliter proponatur,vt poſsit ad notitiã omnium peruenire,etiam ad illos,qui in remotis partibus regni commorantur. Secundò deducitur, quòd vt lex cenſeatur ſufficienter promulgata, non eſt neceſſe,vt in notitiam ſingulorum perueniat,nam id effici non pòteſt,quòd in toto regno, vel prouincia aliquis legem promulgatam non ignoret, vt patet ex vſu, nam nunquam conſultum eſt,vt lex ſingulis hominibus proponatur,vt in c.1. de poſt. prælat. Deducitur tertiò, quòd tunc dicuntur leges promulgatæ ſufficienter, quando propoſitæ ſunt cum tanta temporis latitudine,vt moraliter loquẽdo,ad omnium notitiam peruenerint. Deducitur quartò,quòd quãdo ſubditi ignorantia inuincibili excuſantur de lege,vt frequẽter ſũt rudes,milites,&ſimiles, qui excuſantur etiam à pœna &à culpa,ita vt, nec peccent, neque puniri debeant: inducit tamen in eis transgreſsio legis alios effectus & pœnas,v.g. Si ignatus inuincibiliter de lege clandeſtina, contrahat clandeſtinè matrimonium,excuſatur iſte à culpa, & à pœna, ſed punitur,nam matrimonium nullum erit. Et eodem modo ſi efficiatur contractus minùs ſolemne, aut donatio, puniũtur iſti;nam contractus & donatio nulla erit, ſicut teſtamentum minùs ſolemne: ita Sotus vt ſupra artic.4.cum alijs.

Non obſtãt modò in contrarium adducta argumenta. Non primum,nam reſpondetur,quòd de lege veteri triplex tempus conſiderandum eſt: ante mortem Chriſti, à morte Chriſti,& poſt publicationem nouæ legis. Ante mortem Chriſti, & poſt eius aduentum firma erat lex naturæ;in morte Chriſti ceſſauit,& mortua fuit, ſed non mortifera;dico non mortifera,nam Iudei,& Gentiles po-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tuerant vti proprijs legibus & non peccabant. Poſt autẽ promulgationem nouæ legis, non ſolùm ceſſauit lex vetus, & mortua fuit, verùm & mortifera: nã nemo ſaluabatur, niſi in lege Chriſti, ita vt Hebræi, & Gentiles, alia lege vti non potuerint deinde, niſi lege Chriſti, vt infra ſuo loco patebit.

Non obſtat ſecundum: nam reſpondetur, quòd lex poſt ſufficientem publicationem factam obligat, non ſolùm illos, ad quorum notitiam peruenerit, ſed etiam alios, qui eam non audierunt, nam obligatio non pendet ex notitia ſubditorum, ſi ſufficienter promulgata fuerit, vt in c. ad hæc, de poſt. prælat. verùm cũ hoc rectè cõiungitur, quòd illi, qui inuincibiliter nihil audierãt de lege aliqua, ſiue Euãgelica, excuſantur ignorãtia, à culpa inuincibili, vt ſupra n. 6. dictum fuit. Et ſoluitur argumentũ & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, num. 1.
Proponuntur contra quæſitum duo argumenta. n. 2.
Conſtituitur concluſio & probatur, quòd quatuor tãtùm in vniuerſo ſunt leges, n. 3.
Oſtenduntur tres præcipuæ diuiſiones iuris, n. 4.
Conſtituitur diuiſio Ariſt. & Iuriſtarum, *num.* 5.
Satisfit argumentis propoſitis. num. 6.

ARTICVLVS. IIII.

1 *Vtrùm quatuor tantùm ſint leges in vniuerſum, æterna, naturalis, humana, & diuina.*

2 PRimò contra diuiſionem argumentor & probo, quòd ſit ſuperflua diuiſio, ſic. Sufficiẽter homo gubernatur per legem æternam, vt ait Diuus Auguſtinus libro 1. de lib. arbitrio, ***Lex æterna eſt, qua iuſtum eſt***

eſt, vt omnia ſint ordinatiſsima, ſed natura non abundat in ſuperfluis, ſicut nec deficit in neceſſarijs: ergo ſuperfluè lex naturalis, & reliquæ in ſupradictis numerantur.

Secundò probo, quòd diuiſio ſit mutila: lex fomitis vera eſt lex, vt ait Diuus Paulus ad Roman. c. 7. *Sentio* (ait) *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meę*: ergo non tantùm quatuor, ſed quinque ſunt leges in vniuerſum.

His non obſtantibus veriſsima eſt concluſio. *Quatuor tantùm ſunt leges in vniuerſum, ſcilicèt, ęterna, naturalis, humana, & diuina.*

Probatur concluſio de ſingulis, auctoritatibus ſacræ Scripturæ & primò de lege æterna. Prouerb. c. 8. habetur, *Dominus poſſedit me ab initio viarũ ſuarũ, antequã quidquã faceret, ab ęterno ordinata ſum.* De lege naturali ad Rom. c. 2. habetur: *Gentes, quę legẽ non habẽt, naturaliter ea, quę legis ſunt, faciunt.* De lege humana ad Rom. c. 13. habetur. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt.* Et de lege diuina poſitiua, ait Lucas c. 10. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam.* Probatur etiã ratione. nã lex eſt forma & regula, qua diriguntur homines ad benè operandũ ad ſuos fines & beatitudines, quæ duplex eſt. vna ſupernaturalis, quæ cõſiſtit in viſione beatifica, & ſic propter hanc neceſſaria erit lex diuina. Altera eſt beatitudo, ſeu fœlicitas humana, quę dirigit homines ad pacificũ & quietũ Reipublicæ ſtatum, quod poterit cõſequi, vel per legẽ naturalẽ, vel per legẽ humano ingenio excogitatam, & ſic erit neceſſaria lex naturalis & humana. At quia omnes prædictæ tres leges à lege ęterna deriuantur, & propter hoc ponitur lex æterna: ergo optimè quatuor leges inſtituũtur, vt tenet S. Tho. in 1. 2. q. 91. Sotus de iuſt. & iur. lib. 1. q. 3. ar. 1. Suarez de legibus, lib. 1. c. 3. cum alijs.

Sed

4 Sed vt clariùs prædicta intelligãtur ſciendũ eſt primò, quòd tres ſunt clariores diuiſiones legis. Prima eſt S. Tho. ſupra citata. Secũda erit Ariſt. & aliorũ Philoſophorũ moraliũ. Tertia eſt Iuriſtarũ. Verũ in hac materia aduertendum eſt, quòd Theologi, & Philoſophi vtuntur in hoc nomine legis: Iuriſperiti autem nomine iuris, vt in præfatione dictum fuit. Et licèt multis ex cauſis diſtinctio, diuerſitas & diuiſiones legum capi poſſunt, vel ex parte Legiſlatoris, cùm vnus eſt Deus, alter eſt homo; vel ex parte finis, nam vnaquęque lex habet ſuum finem peculiarem, vel ex materia & rebus, quæ in eis præcipiuntur, in quib⁹ erit aliqua diuerſitas, vt de ſingulis in ſuis locis infra vidẽdum erit ſed quia prædicti modi parum vtiles & parum doctrinales nobis viſi ſunt: diuiſiones tantùm S. Thom. & quam Philoſophi, & Iuriſperiti conſtituunt, in præſenti ſolùm adducere conati ſumus.

5 Sciendũ eſt ſecũdò, quòd Ariſt. 5. Ethic c. 7. diuiſit legẽ in naturalem, & poſitiuam, vt philoſophus moralis, quem ſequutus fuit S. Thom. 2. 2. q. 57. art 2. & meritò prædictã diuiſionem conſtituit Ariſtoteles: quia ipſe non cognouit legem ſupernaturalem, & finem ſupernaturalem, & de lege æterna non fecit mentionem: nam inſtituit ipſe tantùm tractare de legibus illis, quibus homines gubernãtur in republica. Iuriſperiti, omiſſo iure diuino, & canonico, diuidũt ius in naturale, gẽtiũ, & ciuile: naturale ius vocãt, quod commune eſt hominib⁹ cum brutis, vt coniunctio maris, & fœminæ, filiorum educatio & procreatio, & ſimilia. Ius gentium vocant, quod eſt proprium hominib⁹, & illis omnibus, aut ferè omnibus commune eſt, vt religio erga Deum, obſequium erga parentes, & patriam, & ſimilia. Ius ciuile vocant, quod eſt proprium alicuius reipublicæ, vel ciuitatis, vt in lib. 1. inſtit. de iure natur. gen. & in

§. 1.

1. & ſequentib. & in l. 1. ff. de iuſtit. & iur. vt infra copioſiùs hoc videndum erit.

Non obſtant modò in contrarium adducta argumen... Nō primum, nam reſpondetur, quòd argumētum procederet & haberet locum, cōtra noſtram concluſionem, lex naturalis eſſet aliquid diuerſum à lege æterna, quæ liud non eſt, niſi quædam participatio illius legis æternæ in quantum fuit neceſſaria hominibus, vel creaturis, t infra patebit, & etiam de alijs legibus; & ſoluitur primum. Nō obſtat ſecundum deſumptū ex auctoritate D. aul. nam reſpondetur primò, quòd lex concupiſcentiæ ormalis non eſt vera lex, ſed metaphoricè lex dicitur. el reſpondetur ſecundò, quòd lex cōcupiſcentiæ poteſt iipliciter conſiderari. Primò quatenus hominibus moleſta eſt, & ſic effectus legis diuinæ eſt, & ad eam reducitur, uia ſic eſt lex diuina pœnalis, quæ imponitur hominibus opter culpam iuſtitiæ originalis, quam in primo parente commiſerunt. Secundò conſiderari poteſt, quatenus npellit ad quamdam operationem naturæ, & ſic reducitur ad ius naturale. Tertiò conſiderari poteſt, quatenus icitat ad peccatum, ſicut regula bonæ actionis in mente ocatur ius naturale, ſic regula malæ actionis in ipſa mente, quatenus repellitur, ad naturale iusquoque reducitur: ergo lex fomitis quomodocumque conſideretur, ad ſupradictas reducitur. Et ſoluitur argumentum, articulus, & diſputatio prima.

DE EFFECTIBVS LEGVM.

DISPVTATIO Secunda.

IN DVOS ARTICVLOS diuiſa.

In præcedenti diſputatione dictum fuit, inter alia, de cauſa finali legis: at quia finis cum effectu coincidit, & commodè vnum ſine alio explicari non poteſt; propterea in præſenti de effectibus diſputamus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, num. 1.

Proponuntur duo argumenta num. 2.

Conſtituitur concluſio, effectus vltimus legis eſt facere homines bonos, & probatur, n. 3.

Oſtenditur, quòd finis legis cum effectu ferè coincidit, numero 4.

Indicatur in ſingulis legibus, quo gradu homines efficiantur boni, num. 5.

Satisfit argumentis propoſitis, num. 6.

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

Vtrùm effectus legis ſit facere homines bonos.

PRimò, pro parte negatiua argumẽtor ſic. Lex ciuilis intendit tantùm facere bonum ciuem, & bonum ſubditum, ſed non eadem eſt virtus boni ciuis, & boni viri, nam poterit eſſe bonus ciuis, ſubditus peſsimus, non autem erit iſte bonus vir: ergo non quælibet lex facit homines bonos.

Secundò, bonus ſimpliciter intelligitur circa veram animæ virtutem, ſed lex humana non attingit virtutem interiorem, nam aliàs non differret à lege diuina gratiæ: ergo lex humana non efficit homines bonos.

3 His non obſtantibus concluſio eſt. *Effectus vltimus legis, eſt facere homines bonos ſimpliciter, vel ſaltim ſecundùm quid.*

Probatur concluſio de omnibus legibus ſupra dictis. Primò, auctoritate Diui Pauli ad Roman. c. 7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum: ſed quæ vetat malum, & præcipit bonum*: & de aliquibus Deus eſt auctor, negari non poteſt, quòd efficiat homines bonos. Tum etiam, quia lex dirigit homines ad bonum, & præcipit actus bonos, & prohibet malos, ſed exercendo bonum, & abſtinendo à malo, homo bonus efficitur: ergo lex hoc efficiens, facit homines bonos. Fulcitur concluſio auctoritate Ariſt. lib. 1. Ethic. c. 14. & tenet S. Thom. in 1. 2. q. 92. art. 1. quem ſequuntur Caietanus, & Medina in d. art. 1. Sotus de iuſt. & iur. lib. 1. q. 2. artic. 1. Lorca de legibus diſp. 3. Suarez lib. 1. c. 13. cum alijs.

Digitized by Google

4 Sed vt clariùs iſte articulus intelligatur, primò ſciendum eſt, quod in præcedenti diſputatione diximus de
cauſis, & præcipuè de cauſa finali legis, dum inſtituimus 1
legem debere fieri pro communi bono, & quia finis legis cum effectu coincidit, & commodè vnum ſine alio
explicari non poteſt: propter hoc, vt ampliùs finis legis 2
innoteſcat, & explicetur, de effectibus legis in præſenti tractamus: & primò de vltimo effectu legis, qui eſt facere ſubditos bonos, illa bonitate, quæ neceſſaria eſt, vt finem cuiuſcunque legis adipiſcamur.

5 Secundò ſciendum eſt, quòd effectus vltimus cuiuſcũque legis, eſt facere homines bonos ſuo ordine, & gradu ſecundùm vires cuiuſcunque legis, vel ſimpliciter, vel ſaltim ſecundùm quid: facitque hoc lex dirigendo, obligando, & coercendo. Lex enim diuina, præſertim Euãgelica, quæ virtute ſua, omnia cõplectitur, quæ præcipit bo-
nũ, non modò in exteriori opere, ſed etiã in interiori, effi- 3
cit homines ſimpliciter bonos, perfectos, & omni bonitate, & virtute conſummatos, hoc idem efficit tota collectio ſimul legũ at quælibet alia lex, quæ de perſe nõ præcipit omne bonum, ſed partem illius, facit homines tãtùm bonos ex parte, quod eſt ſecundùm quid. V. g. lex naturalis efficit homines bonos, ſecundùm quid, nam tantùm efficit eos bonos in virtutibus moralibus, quæ naturæ ordine commenſuratæ ſunt. Et eodem modo, lex ciuilis, quæ intendit exteriores ſaltim homines bonos facere, ea bonitate ciuili & publica, quæ neceſſaria eſt ad rempublicã regendam. Et ſimiliter lex canonica, quæ intendit ſaltim facere bonos clericos, qui exteriùs ſuo muneri ſatisfaciant. Dixi, exteriùs, ad oſtendendum, quòd lex humana non præcipit, necque prohibet actus internos, ſed tantùm externos; & in hoc differt à lege Euangelica, quæ ad

vtrumque ſe extendit, vt ſuo loco in vltima diſputatione videndum erit. Ex dictis ergo clarè colligitur, quòd tota collectio legum, vel lex ipſa diuina Euangelica, eſt, quę facit homines bonos, & ſimpliciter in omni bonitate, & in omni latitudine; reliquæ autem enumeratæ faciunt bonum virum ex parte, & ſecundùm quid. Colligitur etiam, quòd aliter eſt facere bonum virum, vt facit lex ſupradicta diuina, & aliud eſt facere bonum ciuem, vt facit lex humana: ita Doctores ſupra citati.

6 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd licet lex ciuilis non valeat facere homines bonos ſimpliciter; facit tamē eos bonos ſecundùm quid, bonitate politica, & ciuili, in quantum ſunt boni ciues, & hoc ei ſufficit, & ſoluitur primum argumentum. Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd lex ciuilis intendit veram animi virtutem, in ſuo genere perfectam ad finem politicum, & naturalem; differt autem à lege diuina Euangelica, quæ intendit veram, & adęquatā virtutem, ad finē ſupernaturalē, vt ſuprà n. 5. declaratum eſt, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, num. 1.

Proponuntur argumenta contra quæſitum, num. 2.

Conſtituitur concluſio, ſcilicet proximus effectus legis eſt præcipere, prohibere, permittere & punire, n. 3.

Declarantur prædicti quatuor effectus, n. 4. 5 & 6.

Oſtenditur, ſi prædicti effectus, conueniant omni legi, n. 7.

Declarantur alij effectus, qui poſſunt eſſe in lege, numero 8.

Satisfit argumentis propoſitis, n. 9.

ARTICVLVS II.

1 *Vtrùm proximus effectus legis ſit præcipere, prohibere, permittere, & punire.*

2 PRo parte negatiua argumentor ſic. Lex idem eſt, quod præceptum commune, vt ſupradictum fuit, ſed idem ſignificat præcipere, & prohibere: ergò alterum iſtorum ſuperfluè conſtituitur.

Secundò. Effectus legis eſt, ſubditos ad bonum inducere; ſed conſilium eſt de meliori bono, quàm præceptū: ergo non tantùm quatuor debent eſſe effectus legis, ſed quinque.

3 His argumentis non obſtantibus concluſio eſt. *Proximus effectus legis eſt, præcipere, probibere, permittere, & punire.*

Probatur concluſio hac ratione. Lex ordinatur ad act? & actiones humanas dirigendas, vt ſuprà dictum fuit: ſed actiones humanæ in triplici differentia ſunt, aliæ ſunt bonæ, aliæ malæ, aliæ indifferentes: ergo his tribus actionibus humanis, tres effectus legis correſpondere debent. Ad primum gradum, in quo reperiuntur actiones bonæ, vt Deum colere, parentes, & patriam diligere, parentes honorare, & ſimiles actus virtutum, reſpectu horum conſtituitur effectus legis, qui eſt præcipere; præcipit enim lex omnes actus virtutum, teſte Ariſt. 5. Ethic. Ad ſecundum gradum, in quo reperiuntur actiones, & actus humani, qui ſunt ex natura ſua intrinſecè mali, vt occidere, furari, fornicari, & adulterari, falſum teſtimonium dicere, & ſimilia, reſpectu horum conſtituitur effectus legis, qui eſt prohibere. Ad tertium gradum action[illegible] huma-

Digitized by Google

imanatum, quæ ſunt indifferentes, reſpectu harum cō-
ituitur effectus, qui eſt permittere. At quia neceſſaria
t obſeruancia iuſtitiæ, propter hoc, neceſſarium fuit
uartum effectum ponere, qui eſt punire. Fulcitur con-
luſio auctoritate Iſidori in lib. 5. Ethym. & aliorum Iu-
ſprudentum, text. in l. 6. ff de legib. text. in c. omnis au-
em, 4. diſtin. & tenet S. Thom. in 1. 2. q. 92. art. 2. Sotus de
iſt. & iure, l. b. 1. quæſt. 2. art. 2. Lorca de legibus diſputa-
ione 3. Suarez lib. 1. c. 15. & ſequent. Vazquez, & Medi-
a, d. q. 92. art. 2. Valentia tom. 2. de legib. diſp. 7. quæſt. 2.
um alijs à prædictis relatis.

Sed vt clarius prædicti effectus intelligantur, qui do-
trinales ſunt, & veluti operationes, ac actiones legum,
uibus medijs, homines diriguntur ad benè operandum,
inguli de perſe declarandi ſunt. Primus effectus eſt præ-
ipere, lex enim præcipiendo dirigit, oſtendit, mouet, &
obligat ſubditos in ſuis actionibus bonis, vt Deum cole-
e, parentes honorare, & ſimiles: nam propter hoc, lex nū
upatur regula, & exemplar, quia ſubditis oſtendit per le
gem præcipiendo, hoc vel illud eſt faciendum, & ſequen
dum. Secundus effectus legis eſt prohibere, obligādo ſub
ditos, nam lex non ſolùm præcipit, quòd bonum agamus,
ſed etiam præcipit, obligat, & neceſsitatem quandam no
bis imponit, vt quod eſt malum omittamus, quia ſicut ip-
ſa poteſt obligare nos ad agendum, ita etiam ad non agen
dum, quod fit per verbum prohibere: inde dici ſolet, le-
gem habere in nobis non ſolùm vim præceptiuam, ſed
etiam coactiuam, ita Doctores, vt ſupra.

Tertius effectus legis erat permittere; &, vt à notioribus
incipiamus, in legibus ciuilibus conſtat plura permiſſa
eſſe, vel quia erant res indifferentes, vel quia ſunt mi-
nùs mala ad euitanda maiora. Permittuntur enim mere-
tricia,

tricia, fornicationes, homicidium adulteræ, aliqua pacta iniuſta, leuiora peccata & ſimilia, quæ permiſsio non eſt contra iuſtitiam talis legis humanæ, quia non ſpectat ad illam, nec ad finem eius cohibere, vel punire omnia vitia. Quæ permiſsio dupliciter fieri ſolet, vel negatiuè, nihil ſtatuendo de tali re permiſſa in iure, vt meretricia permittuntur: fit etiam poſitiuè, ſtatuendo expreſſè in iure de tali re permiſſa, vt patet in l. Gracchus, C. ad legē Iuliā de adult. in qua inſtituitur, quòd nō puniatur vir, qui occiderit adulterū, cū vxore deprehēſum in adulterio: hoc idē in l. nec in ea, ff. ad legē Iuliā de adult. coer. vbi nō punitur pater, qui occiderit filiā in adulterio deprehēſam. In lege autē diuina Euangelica, certiſsimū eſt, non fuiſſe permiſſionem peccatorū, id eſt, nullū peccatum reliquit impunitum, non enim erat conueniens fini illius legis, quæ eſt integra ſalus animarum. Et de lege veteri controuerſum eſt, an illa poſitiuè permiſerit aliquod peccatum. Solùm dico in præſenti, non repugnare hoc fuiſſe in illa lege, nec eſſe multùm alienum ab imperfectione illius, vt infra ſuo loco videndum erit. De lege autem naturali idem dicendum erit, quod de lege æterna, & loquendo de permiſsione peccati, certiſsimū eſſe, nullo modo permiſſum fuiſſe in tali lege, immo illa prohibet omne malum, & nullum relinquit impunitum. Verùm negatiuè ius naturale permiſit diuiſiones & dominia rerum, vt infra ſuo loco dicendum erit, ita Doctores vt ſupra.

6 Quartus effectus legis, erat punire, id eſt, tranſgreſſorem legis facere obnoxium culpæ, & pœnæ, ita vt tranſgreſſor poſsit puniri in foro conſcientiæ, & in foro iudiciali, niſi per inuincibilem ignorantiam, vt ſuprà dictum fuit, excuſaretur; ſed licèt omnibus legibus communis ſit iſte effectus, eſt tamen differentia inter legem naturalē

& humanam; nam licèt lex naturalis oſtendat actum aliquem eſſe malum, & quòd mereatur pœnam: non tamē declarat in particulari quantitatem pœnæ; vt ſit tali gradu, tali forma, tali loco, tali tempore: vnde taxatio fit, aut per legem æternam Dei, maximè, quoad pœnam vitæ futuræ, quam nos determinationem, & quantitatem ignoramus; aut fit per legem humanam, quoad pœnas, quæ in hac vita in humano foro imponuntur, ita Doctores ſupra citati.

7 Ex dictis colligi poteſt, quòd non dicimus in præſenti, quòd vnaquæque lex habeat omnes ſupradictos effectus, ſed quælibet earum poterit aliquid iſtorum quatuor facere. Nec etiam dicimus, prædictos quatuor effectus communes eſſe omni legi æternæ, naturali, diuinæ, & humanæ. Nam licèt conueniant Doctores, quòd tres eorum, ſcilicet, præcipere, prohibere, & punire, omnibus legibus ſupradictis accommodari poſſunt: at quantùm ad effectum permiſsiuum nullo modo legi diuinæ, Euangelicæ, nec iuri naturæ, vt oſtenſum eſt, adaptari poterit, vt tenent Vazquez, Suarez, Valentia, vt ſupra cum alijs.

8 Denique aduertendum eſt, quòd licèt alij Doctores conſtituant alios effectus legis à ſupradictis quatuor, nam dicunt, quòd prædicti quatuor ſunt circa ſubditas perſonas, alij autem circa res, & materias, de quibus in eis diſputatur; per leges enim primò taxantur pretia rerum. Secundò per illas dantur formæ contractibus & teſtamentis, ita vt contractus aliter factus, inualidus ſit, vt patet in clandeſtina deſponſatione, in teſtamentis, & in alijs contractibus. Tertiò, leges mutant dominia rerum. Quartò, fauores concedunt, & præmia tribuunt. Tamen omnes prædicti, & alij, qui enumerari poſſunt, ad ſupradictos quatuor reducuntur, ſcilicet ad

E effe-

Digitized by Google

effectum præcipientem, vel prohibentem, vel permittentem, vel punientẽ, vt tenent Doctores citati, & Suarez, vt ſuprà c. 17. cum alijs.

9 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd licèt præcipere, & punire, ſi lata ſignificatione accipiantur, appareant idem ſignificare, verùm ſi ſumantur cum proprietate, valde differunt inter ſe: nam præcipere denotat prohibitionem, quæ fit in præceptis affirmatiuis, & in actibus, qui ex natura ſua boni ſunt: prohibere autem denotat prohibitionem, quæ fit in præceptis negatiuis, & in actibus, qui ex natura ſua mali ſunt: nam lex obligat, non ſolùm ad agendum, ſed etiam ad non agendum, vt ſuprà dictum eſt, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum argumentum, nam reſpondetur, quòd conſilium, ideo non conſtituitur inter effectus legis, quia conſulere, pertinere poteſt ad perſonas priuatas, quarum non eſt condere legem; nos loquimur in præſenti tantùm de effectibus illis, qui ſolùm ad eos ſpectãt, qui iuriſdictionem, & imperium habent, & ſic ſoluitur argumentum, & articulus.

(.?.)

DE

DE LEGE
Æterna.

DISPVTATIO
Tertia.

IN TRES ARTICVLOS
diuiſa.

VIſum fuit in præcedentibus diſputationibus de lege in communi, nec non de effectibus: videndum eſt modò, in particulari de quacumque lege: & primò de lege æterna, quæ eſt fons & origo aliarum legũ, & regimen vniuerſale, & lex communis, quæ ſe extendit ſua latitudine, ad totam naturam, cuius nutu omnia reguntur, & mouentur. Et quia cæteræ leges non ſolùm ſunt particulares, & ad particulares fines diriguntur; ſed etiam à lege iſta æterna, omnes deriuãtur: ideò primò de ea tractandum eſt.

Digitized by Google

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli, num. 1.
Proponuntur duo argumenta, n. 2.
Conſtituitur concluſio, ſcilicet: datur aliqua lex æterna, num. 3.
Triplex conſideratio legis ęternę oſtenditur, n. 4.
Quomodo nos cognoſcimus legem ęternam, oſtenditur, numer. 5.
In quo conueniant prouidentia, & lex ęterna, & in quo differant, oſtenditur, n. 6.
Diffinitiones diuerſę legis ęternę oſtenduntur, n. 7.
Quę colligantur ex diffinitionibus citatis; oſtenditur, numero 8.
Satisfit argumentis propoſitis, n. 9.

ARTICVLVS I.

1 *Vtrùm ſit aliqua lex æterna, & quid ea ſit.*

2 PRimò pro parte negatiua argumentor ſic. Lex, cùm ſit actus imperij, aliquibus imponitur, ſed non fuit ab æterno, cui aliqua lex potuiſſet imponi; nã ſolus Deus erat ab æterno, & non creaturæ: ergo nulla fuit lex æterna.

Secundò. Leges tunc inſtitui dicuntur, dum promulgãtur, vt in c. in iſtis 4. diſtin. ſed promulgatio in lege iſta, non potuit eſſe ab æterno, quia non erat ab æterno, cui promulgaretur, nec erat dominium, nec iuriſdictio, nec

Digitized by Google

nec gubernatio tunc: ergo nulla lex potuit eſſe æterna.

His non obſtantibus, concluſio eſt. *Communis ſen-*
3 *tentia, & vſus loquendi ſanctorum Patrum eſt, quòd datur aliqua lex ęterna in mente diuina, quę eſt gubernatiua totius vniuerſi.*

Probatur concluſio, quia omnis creatura non ſolùm creatur, ſed etiam gubernatur à Deo: ergo Deus ab æterno in mente ſua diuina concepit modum gubernandi eas, id eſt, formam ſeu regulam, qua vnaquæque creatura deberet ſuas actiones exercere, & ad ſuos deuenire fines: ſed hæc forma, regula, & iſte conceptus diuinæ gubernationis in Deo nihil aliud eſt, quàm lex æterna: ergo datur aliqua lex æterna in ipſo Deo, quæ eſt gubernatiua totius vniuerſi. Et dicitur æterna, quia ipſe Deus nihil concepit in tempore, ſed de omnibus rebus habuit æternum conceptum in mente ſua diuina, in qua eſt, & ipſa lex ab æterno: ergo meritò lex æterna nuncupatur. Probatur etiam auctoritate Diui Auguſtini lib. 8. de vera religione, cap. 30. lib. 1. de libero arbitrio, cap. 5. & 6. Diui Thomæ in 1. 2. quæſt. 91. artic. 1. & q. 93. per totam, tenet Caietanus locis citatis, Sotus de iuſt. & iure lib. 1. q. 3. art. 1. & 2. Turrecrem. in c. omnes leges, diſt. in. 1. Suarez de legibus lib. 2. c. 1. quin etiam Cicero lib. 1. & 2. de legibus, & Plato in ſuis Decalogis, cum alijs.

4 Sed vt clariùs iſte articulus intelligatur, ſupponenda eſt primò illa diſtinctio de triplici cõſideratione legis, & applicãda eſt in pręſenti, ſcilicet, vt lex eſt in ſe, in mẽte Legiſlatoris, & vt eſt in mẽte ſubditorũ, prout in diſp. 1. ar. 1. n. 7. dictũ fuit. Ex qua diſtinctione colligũtur tria. Primò quòd lex æterna, prout eſt in ſe, nihil aliud eſt, quã quędã regula practica gubernationis ipſius Dei circa creaturas. Secundò, quòd lex æterna, prout eſt in mente ipſius

Dei Legiſlatoris, nihil aliud eſt, niſi conceptus diuinæ mentis, quo concipit & iudicat, quo pacto vnaquæque creatura debeat ſuas functiones, & operationes exercere, vt ad ſuos debitos fines moueantur. Tertiò colligitur, quòd ſi lex æterna conſideretur, prout eſt in nobis, nihil aliud eſt, niſi regula illa æternæ gubernationis, quam Deus ab æterno concepit, & iudicauit ſeruandam eſſe à nobis, proponitur nobis per aliqua ſigna effectus, vel per dictamina rectæ rationis. Sed aduertẽdum, quòd inter hos duos vltimos modos diſtinctionis, hoc intereſt, quòd lex iſta æterna, quatenus eſt in mente diuina, dicitur & nuncupatur lex æterna, & quatenus eſt in ſubditis & in creaturis, nuncupatur tunc tantũ lex naturalis: ita S. Tho. d. q. 93. ar. 1. & 2. Suarez, vt ſuprà cum alijs.

5 Ex quo deducitur, quòd lex æterna ſi conſideretur, prout eſt in ipſo Deo, non poteſt ab hominibus in hac vita cognoſci, niſi ſolus ipſe Deus, & beati in patria eam cognoſcunt, nos autem illã cognoſcimus tantùm per aliqua ſigna, vel effectus, in quantum nobis proponitur. Sicut ille, qui non poteſt, nec valet videre ſolem in ſua ſubſtantia, videt tamen ſolem in ſua radiatione: ſic nos, qui illam legem æternam non valemus agnoſcere, prout ipſa eſt in ipſo Deo ab æterno, eam cognoſcimus, per participationem, per aliqua ſigna, vel effectus ſecundum aliquam irradiationem maiorem, vel minorem, quæ lumine naturali, vel reuelato, per leges temporales, nobis innoteſcit, ita S. Tho vt ſuprà art. 2. Suarez c. 4. Turrecrem. vt ſuprà n. 5. cum alijs.

6 Supponimus ſecundò, quòd licèt prouidentia diuina in hac materia paſsim pro lege æterna accipiatur, propter maximam ſimilitudinem, quam habet cum illa, nam prouidentia diuina nihil aliud eſt, niſi ratio diuinæ guberna-

tionis

tionis rerum omnium ab æternitate exiſtens in mente ſua diuina, & eadem eſt lex æterna, ſi generaliter accipiatur in quantum ipſa lex æterna ſe extendit ad omnes creaturas. Differunt tamen prædictæ in aliquibus. Primò quia prouidentia diuina reſpicit res ſingulares in indiuiduo, & in particulari, & alia eſt prouidentia de Petro, & alia de Ioanne: lex æterna non reſpicit ſingularia, ſed eſt quædam generalis, & communis regula, quæ reſpicit totam naturam ſpecificam, ſecundùm quam res illius naturę mouentur, & operantur ad ſuos fines. Differt ſecundò, quia prouidentia non includit voluntatem obligãdi ſubditos, ſicut lex æterna illam includit, ita S. Thom. quæſt. 5. de veritate, artic. 1. ad 6. & in 1. p. q. 22. art. 1. Suarez, vt ſuprà c. 3. cum alijs.

7 Lex æterna, à diuerſis Doctoribus diuerſimodè diffinitur: Diuus autem Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum, c. 27. dicit: *Lex æterna eſt ratio, vel voluntas Dei, ordinẽ naturæ conſeruari præcipiens, & diſſipari vetans*. Et alibi ait: *Lex æterna eſt ſumma ratio in Deo exiſtens, cui ſemper obtemperandum eſt.* S. Thom. d. q. 93. art. 1. ait: *Lex æterna eſt ſumma ratio diuinæ ſapientiæ, efficaciter mouens, & dirigens vnamquamque rem in ſuum finem*, ita S. Thom. vt ſupra, Turrecremata in c. omnes leges, d. 1. n. 4.

8 Ex quibus diffinitionibus colligitur, quòd ſi lex æterna ſumatur generaliter in tota ſua latitudine, quatenus ſe extendit ad omnes creaturas, in omnibus habet ſuos effectus obligandi, & præcipiendi bonum, & prohibendi malum, & eodem modo erit, ſi ſumatur ſpecialiter, prout propriè eſt & reperitur in creatura rationali. Habet etiã prædictos effectus, nam præcipit nobis omnes actus bonos morales, vt Deum colere, parentes honorare, iuſtum ſeruare, neminẽ lædere, & ſimiles; prohibet etiam

omnes

omnes actus morales malos, vt non furaberis, non occi-des, non furtum facies, & ſimiles. Ita Suarez, vt ſupra, c. 3. & 4. cum alijs.

9 Non obſtant in contrarium adducta argumenta. Nõ primum, reſpondetur enim, quòd verum eſt, quòd lex cùm ſit actus imperij, aliquibus debuerat imponi, & licèt creaturæ non fuerint ab æterno in ſe ipſis, apud Deũ tamen erant in quantum erant ab ipſo cognitæ, & præordinatæ, & hoc ſatis eſt, vt aliqua lex ab æterno fuiſſet in mente diuina, prout dictum eſt, & ſoluitur primum.

Non obſtat ſecundum deſumptum ex c. in iſtis, nã reſpondetur quòd licèt diuerſi Doctores, diuerſimodè reſpondeant: S. Thom. tamen dicit, quód promulgatio iſtius legis facta fuit verbo, & ſcripto, quod defendi poteſt: ſed faciliùs, & clariùs dicendum erit, quòd verum eſt, quòd promulgatio requiritur in omnibus legibus, quæ tamen diuerſimodè fieri poteſt, vt infrà patebit; at in iſta lege æterna non requiritur, vt actu facta fuerit, ſed ſatis fuit, vt ex parte Legiſlatoris Dei facta fuerit promulgatio pro ſuo tempore creaturis, & ita ſtabilitum ſit in mente ſua diuina, vt verè, & propriè ſemper lex æterna diceretur.

Et ſoluitur argumentum & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, n. 1.

Proponuntur duo argumenta. n. 2.

Conſtituitur concluſio, ſcilicet omnis lex à lege æterna deriuatur, n. 3.

Supponuntur quatuor. Primum lex æterna conſideratur, prout eſt in Legiſlatore, & prout eſt in ſubditis, numero 4.

Suppo-

Supponimus ſecundò quòd lex diuina, & naturalis immediatè deriuantur à lege æterna, n 4.

Supponimus tertiò, quòd lex humana non immediatè deriuatur à lege æterna, d. n. 4.

Supponimus quartò, quòd lex æterna præſtantior eſt alijs legibus, vt oſtenditur, d n. 4.

Satisfit argumentis, num. 4.

ARTICVLVS II.

1 *Vtrùm omnis lex à lege æterna deriuetur.*

2 PRimò pro parte negatiua argumentor ſic. A lege æterna nihil iniquum procedere poteſt, ſed quædam leges ſunt iniquæ; vt ait Iſai. c. 10. *Væ qui condunt leges iniquas*: ergo non omnis lex à lege æterna deriuatur.

Secundò. Leges ciuiles multa permittunt, quæ à lege æterna vindicantur, vt meretricia, mendacia, & ſimilia; ergo prædictæ leges à lege æterna non deriuantur.

3 His non obſtantibus concluſio eſt; *Omnis lex à lege æterna deriuatur, veluti eius effectus, & participatio.*

Probatur concluſio à S. Thom. ſic. In omnibus mouentibus ordinatis, virtus ſecundi mouentis deriuatur à virtute primi mouentis, & omnes rationes gubernandi, quæ ſunt in gubernatoribus inferioribus, deriuantur à ratione ſupremi gubernatoris, ſed lex æterna eſt ratio vniuerſalis gubernationis in ſupremo gubernatore Deo: ergo ab illa lege æterna deriuantur omnes reliquæ leges. Probatur etiam, quia lex æterna eſt lex per eſſentiam, & omnis alia

F eſt

eſt lex per participationē, vt in præcedenti articulo oſtē-ſum eſt: ergo neceſſe eſt, vt omnis alia lex ſit effectus iſti' legis æternæ. Fulcitur hoc auctoritate diuina. Prouerb. c. 8 in quo diuina Sapientia dicit: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernũt decreta*. Hoc idem oſtēdit August lib. 1. de libero arbit. c. 6. dum dicit: *Nihil eſſe in temporali lege iuſtum, quod ex lege æterna non deriuetur*: vt patebit infrà, dum de ſingulis legibus diſcutiemus, & tenet S. Thom. 1. 2. q. 93. ar 3. quem ſequuntur Medina, Caietanus, Vazquez, Conradus in d. art. Sotus de iuſt. & iur. lib. 1. q. 3. art. 3. Suarez lib. 2. c. 4. Turre. in c. omnes leges diſt. 1. n. 1 & cum alijs.

4 Sed vt clariùs iſte articulus intelligatur, aliqua breuiter ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd in præcedenti articulo n. 4. adnotauimus circa legem, prout eſt in ipſo Legiſlatore, & prout erat in ſubditis: ſi conſideretur lex æterna prout eſt in ipſo Deo, lex diuina, tam vetus, quàm noua, & lex naturalis, nō ſunt, neq; nũcupātur effect' legis æternæ, imo ſunt ipſamet lex eterna; ſi autem conſideretur lex æterna, prout eſt in ſubditis creaturis, vocatur, & eſt lex poſitiua, & naturalis, & eſt quædam participatio ſeu pars ipſius legis æternæ, vt in ſequentibus diſputationib' patebit. Supponimus ſecũdò, q. licèt lex diuina poſitiua & lex naturalis differant inter ſe, nam lex naturalis ordinat nos ad finem naturalem, & lex diuina ad finē ſupernaturalem; conueniunt tamen in hoc, nam vtraq; lex & naturalis, & diuina poſitiua immediatè deriuantur, & obligatio quoque earum pendet immediatè ab iſta lege æterna. Supponitur tertiò, quòd licèt lex humana effect' ſit, & deriuetur quoque à lege æterna, eſt tamen valde diuerſa à ſupradictis legibus, nam non immediatè deriuatur ab ipſa lege æterna, ſed mediantibus ſupradictis, &

quomo-

quomodocũque conſideretur iſta lex humana, vel quatenus eſt in Legiſlatore, vel quatenus eſt in ſubditis, ſemper quid temporale eſt, quod in mente, & voluntate hominum efficitur, & formatur. Supponimus quartò, quòd lex æterna eſt præſtantior inter omnes alias leges, nã eſt lex vniuerſalis, quæ ſe extẽdit ad totã naturã: reliquæ verò ſunt particulares, quia ad fines particulares dirigũtur, vt dictum eſt, & tenent Doctores ſuprà citati.

5 Non obſtãt modò in contrarium adducta argumenta. Nõ primũ, nam reſpondetur, quòd lex humana in tantũ habet rationẽ legis, in quantũ eſt ſecundũ rationẽ rectam, & ſecundùm hoc manifeſtum eſt, quòd à lege ęterna deriuatur, aliter diceretur iniqua, & non mereretur nomen legis, ſed violentiæ, vt infrà dum declarabimus textum in c. erit autem lex, 4. diſt. videndũ erit, & ſoluitur primũ argumentum.

Non obſtat ſecundum. Nam reſpondetur, quòd lex multa permittit, non tamen ea approbando, ſed quaſi ea dirigere non potens, quod non eſt ſecundùm legem æternam diſſentaneum, ſecus autem eſſet, ſi approbaret ea, quæ lex æterna reprobat, nam tunc non valeret, neq; eſſet lex, vt infrà patebit, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quęſitum articuli. n. 1.

Proponuntur tria argumenta, n. 2.

Conſtituitur concluſio, ſcilicèt: omnia creata ſubijciuntur legi ęternę, oſtenditur, n. 3.

Tria genera rerum, quę in orbe reperiuntur, ſi omnia ſubijciantur legi ęternę, n. 4.

Duplex eſt modus, quo creaturę ſubijciuntur legi ęternę, oſtenditur, n. 5.

Digitized by Google

Lex ęterna poteſt accipi generaliter & propriè, declaratur numero 6.

Deus, & attributa ſua diuina non ſubijciuntur legi æternæ, oſtenditur, n. 7.

Omnes creaturæ & actiones earum ſubijciuntur legi æternę, num 8.

Rationalis creatura dupliciter ſubijcitur legi ęternæ, oſtenditur, num. 9.

Colligitur primò ex dictis, in quo propriè reperitur lex ęterna, prout lex eſt, n. 10.

Colligitur ſecundò differentia, quę verſatur inter legem ęternā propriè, & communiter dictam, n. 11.

Satisfit argumentis propoſitis in principio, n. 12.

ARTICVLVS III.

Vtrùm omnia, tam neceſſaria, quàm contingētia, ſubdantur legi æternæ.

PRo parte negatiua argumentor, & probo, quòd neceſſaria non ſubdantur legi æternæ. Neceſſaria, teſte Ariſt: ſunt, quæ non contingunt aliter ſe habere, & ſunt immutabilia, & inuariabilia, vt ſolem illuminare, ignem calefacere, hominem eſſe rationalem: ergo neceſſaria legi æternæ non ſubduntur.

Secundò. Lex nō ponitur, niſi quibus promulgatur, ſed in rebus ratione carētibus nulla poteſt eſſe promulgatio, nam non ſunt capaces illius: ergo illæ non ſubduntur legi æternæ.

Tertiò. Contingentia, & caſualia ſæpè à ſua deficiunt regula, vt patet in monſtris, & in rebus caſualibus, & fortuitis: ergo iſta non ſubduntur legi æternæ.

His

5 His non obſtantibus concluſio eſt. *Omnia naturalia, neceſſaria, contingentia, quoad naturam, & quoad operationes ſuas, ſubduntur legi ęternę, ita vt nihil agatur in vniuerſo, prater ordinem à lege ęterna conſtitutum.*

Probatur concluſio. Primò, quia ſicut noſtra voluntas imperat membris corporis, & ſuo imperio illis imponit neceſsitatem operandi, ita, & diuina voluntas imperat reb⁹ omnibus creatis ad ſuas proprias functiones, & operationes exercendas, vt ſolem ad illuminandum, ignem ad calefaciendum, apes ad mellificandum, hirundines ad nidum inſtruendũ, terram ad proferendum fruges, & ſimiles. Tum ſecundò, quia nihil poteſt fieri in vniuerſo, præter ordinẽ à cauſa vniuerſali, ſed lex æterna eſt cauſa vniuerſalis gubernationis, vt in præcedenti articulo oſtẽſum eſt: ergo nihil poteſt fieri præter ordinem legis æternæ. Conſtat hoc etiam auctoritatibus ſacrę Scripturæ, Heſther, c. 13. *Cuncta ſunt poſita in ditione tua, & nemo eſt, qui poſsit reſiſtere voluntati tuę.* Et Sapiẽt. c. 8. *Attingit à fine vſque ad finem, & diſponit omnia ſuauiter.* In Pſal. 148. *Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi, pręceptum poſuit, & nõ pręteribit; ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* & Prouerb. c. 8. *Quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos:* vt optimè declarat Auguſtinus de ciuitate Dei c. 11. dum dicit; nihil eſſe, q̃ ſubterfugiat leges prouidentiæ diuinę, neque regna, neque dominia, non ſolum cælum, & terrã, neq; ſolũ Angelũ, & hominẽ, nec exigui animalis viſcera, nec auis pennulam, nec herbæ, floris, nec arboris foliũ, nec regna hominũ, eorũq; dominationes, & ſeruitutes, à ſuæ prouidẽtiæ legib⁹ alienũ eſſe voluiſſe: ita tenẽt:

S Thom. 1. 2. q. 93. art. 4. 5. & 6. Sotus de iuſt. & iur. lib. 1. q. 3. art. 4. Suarez lib. 2. c. 2. Alenſis 3 p. q. 26. cum alijs.

4 Sed vt clariùs iſte articulus intelligatur, in quo agitur de materia proxima, & remota legis æternæ, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd tres ſunt ordines, ſeu genera rerum in vniuerſo, de quibus dubitari poteſt, an legi æternę ſubdãtur. Primus & ſupremus eſt ipſe De⁹, & attributa ſua diuina. Secundus ſunt creaturæ irrationales, & inſenſibiles, & actiones earum. Tertius ſunt creaturæ intellectuales, & actiones earum, vt ſunt Angeli, & homines, & de ſingulis prædictis dicemus.

5 Secundò ſupponimus, quòd duplex eſt modus, quo creatura ſubijcitur legi ęternę: vno modo per neceſſarias motiones impetus impulſus, vt ſæpè repetitũ eſt de irrationabilibus, & inſenſibilibus creaturis. Alio modo ſubijcitur rationalis creatura, in quantum rationalis eſt, per intellectum, & rationem, & non per neceſſarias motiones, vt ſuprà dictũ eſt, ſed liberè, & à ſe ipſis: vt tenet S. Thom. loco citato, c. 6.

6 Supponimus tertiò, quòd lex æterna dupliciter accipitur: vno modo, generaliter in tota ſua latitudine, vt etiã eſt prouidentia diuina, quæ ſe extendit ad omnes creaturas rationales, & irrationales, animatas, & inanimatas, & ad omnes actiones naturales, neceſſarias, & contingentes. Alio modo accipitur lex ęterna ſtrictè, & propriè, quatenus verſatur tantùm circa rationales creaturas, & non in omnibus actionibus neceſſarijs, & naturalibus, ſed tantùm circa motiones, & actiones morales, quæ liberè ab hominibus exercentur: ita Suarez lib. 2. c. 2. cum alijs.

7 Quibus ſuppoſitis dico primò. Deus, & attributa ſua diuina ab hac ſubiectione, gubernatione, & imperio legis ęternę eximũtur: & ratio eſt, quia ſubijci legi ęternę nihil

nihil aliud eſt, quàm gubernari, & regi ſecundùm legem æternam, ſed Deus non gubernatur, nec regitur, nec ſubijcitur, nam non habet ſuperiorem, à quo regatur, imo ipſa lex æterna identificatur cum ipſo Deo, & attributis ſuis diuinis. Nec obſtat ſi dicatur, quòd ipſe Deus obligatur per ſuam legem æternam dare benè operantibus vitam ęternam: ergo ſubijcitur: nam reſpondetur, quòd hęc obligatio non eſt ex voluntate alicuius ſuperioris, ſed ex propria benignitate, nec eſt hæc obligatio legis, ſed pacti & promiſsionis, & ſic nullo modo legi æternæ Deus ſubijcitur: ita S. Thom. ſuprà art. 4.

8 Dico ſecundò, quòd ſub hac lege æterna continentur creaturæ omnes, etiam ratione, & vita carentes, & omnes operationes earum naturales, neceſſariæ, & contingentes, ita vt nihil agatur in tota rerū vniuerſitate, quod huic legi æternæ non ſubijciatur; ſubijciuntur ergo prædictæ creaturæ omnes irrationales, & vita carentes per ſuos ſtimulos inditos, impulſus, & neceſſarias inclinationes, ad ſuos fines diriguntur, & ſuas operationes exercent; ita S. Thom. vt ſupra ar 4 & 5.

9 Dico tertiò, quòd rationalis creatura ſubijcitur legi æternæ, non ſolùm per naturalem inclinationem, ſicut aliæ res naturales, ſed etiam ſpecialiter, vt rationalis creatura eſt diſcurſiua, vtens ratione, & libertate; per modū cognitionis, valens legi obtemperare, & aliter facere: ita ſanctus Thomas, vt ſuprà artic. 6. Valentia tom. 2. de legibus diſputatione 1. quæſtion. 3. part. 4. & nos infrà diſputatione ſequenti, artic. 2. num. 6 tractabimus.

10 Ex dictis duo colligūtur. Primū eſt, quòd omnes actiones morales hominū ſunt propriè materia legis æternæ,

ſiue

ſiue ſint prædictæ actiones bonæ, ſiue malæ, ſiue indifferentes, omnes cadunt aliquo modo ſub præcepto legis æternæ, vel quia præcipiuntur, vel quia prohibentur. Et eodem modo ſubijciũtur legi æternæ, beati, & damnati: beati, vt Angeli, quia æterna gloria fruũtur: dãnati, & dæmones, quia perpetua pœna cruciantur in inferno, qui ſunt effectus legis æternæ, & propter hoc frequẽter dicit Auguſtinus: *nihil eſt, quod poſſit omnino ſubterfugere imperium legis æternę, neque in cœlo, neque in terra, neque in inferno*: ita S. Thom. vt ſupra art. 6. & Suarez, & alij locis citatis.

11 Colligitur ſecundò differentia, quæ verſatur inter legem æternã cõmuniter ſumptã, & propriè ſumptã: differunt primò hæc duo, quia creaturę omnes irrationales, & inanimatæ ſubijciuntur legi æternæ per naturalẽ tantùm inclinationem: rationalis verò creatura ſubijcitur duplici titulo, & naturali inclinatione, & vt rationalis creatura eſt. Differunt ſecundò, quia rationalis creatura, vt rationalis eſt, operatur liberè, & valens legi Creatoris obtemperare, & aliter facere; animalia verò, & inſenſibilia operantur neceſſariò per impulſus: & non valentia aliter agere, & ob id, quia in eis non eſt libertas, non eſt peccatum: in hominibus autem, quia in eis eſt libertas, eſt peccatum. Differunt tertiò, nam in hominibus, qui vtuntur ratione, eſt lex æterna in eis propriè ſumpta: in animalibus, & inſenſibilibus eſt tantùm lex in eis communiter, impropriè, metaphoricè, & non habet propriè rationem legis. Nec obſtat, ſi contrarium appareat dictũ fuiſſe in ſupradictis n. 3. nã reſpõdetur, ꝙ tũc nulla mẽtio facta fuit de lege æterna, propriè, & generaliter dicta, ſed tantũ tũc cõmuniter viſũ fuit de latitudine & efficacia ipſiꝰ legis, & diuinę prouidẽtiæ, quę ſe extẽdũt circa omnes crea-

creaturas, & actiones, vt dictum fuit, & tenēt Doctores, vt ſupra & Suarez loco proximè citato.

12 Non obſtant in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd licèt in neceſſarijs per naturam non contingat aliter ſe habere, tamen à Deo, à quo producta ſunt, poſſunt annihilari, & ſic legi æternæ ſubijciuntur etiam naturalia.

Non obſtat ſecundum, de animalibus, & inſenſibilibus rebus: nam reſpondetur, quòd lex æterna promulgatur in eis, per ſigillationē, inſtinctum, impulſum inditum ab auctore naturæ, ſicut nobis hominibus promulgatur per conſignationem luminis in mentibus noſtris, vt in ſequenti diſputatione videndum erit, & ſoluitur ſecundum.

Non obſtat tertium argumentum: nam reſpondetur, quòd monſtra caſualia, & fortuita, licèt ſint apud noſtram cognitionem caſualia, & fortuita, & præter ordinem diuinæ legis appareant; tamen ſi conſiderentur reſpectu cauſæ primæ, & diuinæ prouidentiæ, & gubernationis, nihil eſt fortuitum, caſuale, & monſtrum, ſed omne eſt intentum, præuiſum, & ordinatum à lege æterna; & ſic ſoluitur argumentum, & articulus.

(.:.)

DE LEGE NATVRALI.

DISPVTATIO quarta.

IN QVATVOR Articulos diuiſa.

1 *Poſt legem æternam, dicendum eſt de alijs legibus, quæ ab illa deriuantur. Et primò de lege naturali, quæ ab ea parum differt, nam eſt quædã participatio illius, inchoandum erit.*

SVMMARIVM.

2 *PRoponitur quæſitum articuli, nu. 1.*
Proponuntur duo argumenta contra quæſitum, n. 2.
Conſtituitur cõcluſio, ſcilicet: Datur in hominibus aliqua lex naturalis, & declaratur, quid ea ſit, nu. 3.
Aſsignantur diuerſæ diffinitiones iuris naturalis, nu. 4.
Oſtenditur, legem naturalem veram legem eſſe, nu. 5.
Diuerſimodè ius naturale explicatur à Philoſophis, Iuriſperitis, & à Theologis, oſtenditur, nu. 6.
Aſsignantur differẽtię inter legem naturalem, & æternam, num. 7.
Declaratur, in quo conſiſtat eſſentia iuris naturalis, num. 8.
Satisfit argumentis propoſitis, num. 9.

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

1 Vtrùm in nobis ſit aliqua lex naturalis, & quid ea ſit.

2 PRo parte negatiua primò argumětor ſic. Aliter homo tendit ad ſuos fines, quàm bruta animalia, nam homo tendit ad finem liberè, & mouet ſe per eius cognitionem ratione ductus, bruta autem nulla ſe ratione agunt, ſed aguntur à naturali inſtinctu: ergo homo nō mouetur lege naturæ, ſed tantùm bruta.

Secundò. Quantò aliquis eſt liberior, tantò minùs eſt ſub lege, ſed homo eſt liberior omnibus alijs animalibus, propter liberum arbitrium, & alia animalia non ſubduntur legi naturali; ergo nec homo ſubdetur.

3 His argumentis non obſtantibus, concluſio eſt, *Datur in hominibus aliqua lex naturalis, quę eſt quędā participatio legis ęternę, ſecundùm quam bonum, & malum diſcernitur.*

Probatur concluſio, nam lex, quæ eſt regula, & menſura actionum noſtrarum, duplex habet ſubiectum, in Legiſlatore regulante, & in ſubdito regulato, ſed actiones humanæ ſubdūtur legi æternæ, vt dictum eſt, ergo Deus, qui cuncta ſuauiter diſponit, veluti naturæ auctor, impreſſit mētibus noſtris lumē quoddam, per quod legem eius æternam participamus, & quo actiones noſtras ad debitū finem dirigimus. De quo lumine ait Dauid: *Quis oſtendit nobis bona: ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Hęc autem naturalis impreſſio appellatur naturalis lex, vt tenet ſanctus Thom. in 1. 2. q. 91. art. 2. & q. 94. art. 1. Sotus de iuſtitia, & iure: lib. 1. q. 4. art. 1. Suarez de legibus, lib. 1. c. 3. & lib. 2. c. 2. & 5. Lorca de legibus, diſputatione 6.

Gregorius de Valentia, tit. 2. diſp. 7. de lege naturali, q. 6. p. 1. cum alijs.

4 Sed, vt iſte articulus intelligatur, primò ſciendum eſt, quòd diffinitio legis naturalis à diuerſis Doctoribus diuerſimodè conſtituitur. Iuriſconſultus in l. 1. ff. de iuſtitia & iure, & §. ius naturale, inſtituta eodem titulo, aſſerit: *Ius naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit.* Et Iſidorus diſt. 1. c. ius naturale, inquit: *Ius naturale eſt commune omnium nationum, quod vbique inſtinctu naturæ, & non conſtitutione habetur aliqua.* Sed his, & alijs diffinitionibus prætermiſsis, illam tantùm, quæ naturalem legem magis explicat, proponam. *Lex*, ergo, *naturalis, eſt lumen rationis humanę, quod Deus naturę conditor, vnà cum natura inſtituit mentibus noſtris ad aliquid faciendum, vel vitandum*, ita tenet Medina 1. 2. q. 94, art. 2.

5 Sciendum eſt ſecundò, legem naturalem, non ſolùm legem eſſe, ſed propriè, & verè lex dicenda eſt. Quod euidenter oſtenditur diſcurrendo per conditiones eſſentiales veræ legis, quas tetigimus in diſputat. 1. art. 2. & 3. nam in primis habet auctorem Deum, cuius auctoritate ſancita eſt, quem offendimus maximoperè, cùm legem prædictam naturalem violamus. Secundò promulgata, & inſinuata eſt ſingulis hominibus, ipſo naturali rationis lumine. Tertiò imponitur omnibus hominibus, & eſt commune præceptum, & reſpicit commune bonum totius naturæ, nam præcipit bona, & prohibet quæcumque inordinata ſunt. Quartò, pœnas & præmia conſtituit determinata à Deo: nam tranſgreſſores legis punit pudore cóſcientiæ, & remorſu, & præmiat benè operantes, conſcientiæ pace, & quiete interna, quæ ex bona operatione virtutum naſcitur, vt ait Paulus ad Roman. cap. 2. *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus, ſuis cogitationibus*

accu-

accuſantibus, & defendentibus: ergo ſi in ea reperiuntur conditiones eſſentiales, & effectus legis, vera, & propria lex dicenda erit: ita Suarez, & Lorca, vt ſupra c. 6. cum alijs.

6 Sciendum eſt tertiò, quòd Philoſophi, Iuriſperiti, & Theologi maximè diſcrepant inter ſe, ſi non in re, ſaltim in modo explicandi legem naturalem. Philoſophi enim, & præſertim Plato in dialogo Minus, legem naturalem, accipit pro omni inclinatione naturali indita rebus omnibus ex participatione legis æternæ à ſuo creatore, qua participatione ſingulæ res ſuas actiones, ad ſuos debitos fines dirigunt, quãuis inclinationẽ hãc in hominibus nobiliori modo eſſe fateantur: immo, & D. Thom. dict. q. 91. artic. 2. dixit eodem modo in illis verbis: *Omnia, quę diuina prouidentia reguntur, participare aliqualiter legem æternam, in quantum ex efficacia illius habent inclinationem in proprios fines.* Iuriſperiti legem naturalem vocant eam tantùm, quæ hominibus communis eſt cum brutis animalibus, vt cõiunctio maris, & fœminæ, filiorũ educatio, & procreatio: inanimata verò, à participatione huius legis excludere videntur, vt in §. 1. inſtituta de iure naturali, in l. 1. ff. de iuſtitia, & iure: ſed in re vera, vt ſæpè diximus, lex propriè ſumpta non attribuitur rebus inſenſibilibus, nec brutis animalibus, cùm non ſint rationis expertia, nec diſcurſu vtantur, vnde illis attribuitur hoc nomen generaliter, tantùm, impropriè, metaphoricè, & ſimilitudinariè. Theologi denique legem naturalem vocant propriè eam, quæ naturali cognitione innoteſcit in rationali creatura, quæ præſcribit, quid debitum ſit agere, vel vitare: ita ſanct. Thom. vt ſupra, & copioſiùs in 4. diſtinctione 33. artic. 1. Suarez lib. 1. cap. 1. & 3. cum alijs.

7 Ex dictis, duo neceſſaria colliguntur ad cognoſcẽdam differentiam, quæ verſatur inter legem æternam, & naturalem Prima differentia eſt, quòd ſi lex naturalis conſideretur, quatenus eſt in mente ipſius Dei Legislatoris, dicitur & nuncupatur lex æterna, quia ab æterno in eo eſt. Si verò conſideretur eadem lex, quatenus eſt in mente noſtra, dicitur & vocatur lex naturalis, quia ex naturali inſtinctu nobis ineſt. Secunda eſt, quòd lex æterna ſua latitudine extendit ſe ad omnes creaturas rationales, & irrationales, ſenſibiles, & inſenſibiles, ſicut etiam extenditur prouidentia diuina: lex autem naturalis propriè ſolùm extẽdit ſe ad creaturas intellectuales, & rationales, id eſt, ad homines, & ad Angelos: & ſic ſi accipiatur illa pars tantùm, ſeu illa participatio legis æternæ, quæ dirigit homines, & Angelos in ſuis actionibus, & non aliam, iam habes conſtitutam legem naturalem, de qua loquimur in præſenti,

8 Sciendum eſt quartò, quòd omnes accipiunt, & vocant legem naturalem eam, quæ naturaliter docet, quid ex natura rei debitum ſit agere; in quo tamen ipſa conſiſtat, non eſt explicatu facile. Vazquez enim in 1. 2. c. 2. de legibus, diſputatione 150. aſſerit, legem naturalẽ conſiſtere in ipſa natura hominis ſecundùm ſe, abſque omni rationis actu, vel habitu ad cognitionem, ita vt includat ipſum opus rationis ab ipſa lege naturali. Et ratio ipſius, inter alias, præcipua eſt: nam præcepta legis naturę ſunt, vel principia prima per ſe nota, vel concluſiones, quæ euidenti neceſsitate, ex illis colliguntur, quæ ſunt priores in ipſa natura, omni operatione rationis: ergo abſque vlla operatione intellectus, natura humana ſufficiens eſt ipſa ſola cum prædictis principijs ad cognoſcendum conueniẽtia, & diſconuenientia ipſius naturæ, & poterit præcipere,

pere, quòd bona & conſentanea ſint appetenda, mala autem, & contraria fugienda. Sed anteaquàm veriorē ſententiam conſtituamus, ſciendum eſt, quòd in natura humana, quatuor reperiuntur. Primum eſt ipſa natura humana. Secundum ſunt prima principia, vel cōcluſiones, quæ neceſſariò ex illis inferūtur. Tertium eſt in natura, quoddam lumen naturale, ſeu quædam vis, quam natura habet à lege æterna ad diſcernendum inter operationes conueniētes, & diſconueniētes. Quartū, in natura reperitur etiā aliquid rationis, quod à nobis recta ratio rationis, ſeu dictamen appellatur. Quibus ſuppoſitis veriſsima ſententia eſt: natura humana eſt tantùm fundamentū omniū prædictarum rerum: & illa vis ipſius naturæ, cum aliqua cognitione, & habitudine ad intellectum, vocatur & eſt, & in ea conſiſtit ius naturale: & ratio eſt, nam ſi cum ipſa vi naturæ non inuoluatur aliquid rationis, nulla eſt differentia inter ius naturale, quod reperitur in brutis, & ius naturale, quod eſt in rationali creatura, ita S. Thom. 1. 2. q. 94. art. 1. & 2. Sotus de iuſt. & iure, lib. 1. q. 4. art. 1. Lorca de legibus, diſputatione. 6. Suarez lib. 2. de legibus, cum alijs.

9 Non obſtant in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd verum eſt, quòd aliter homo tendit ad ſuos fines, & aliter animalia bruta, nam homo tendit liberè cum cognitione finis per intellectū: bruta autem animalia mouentur tantùm naturali inſtinctu, & non à ſe ipſis: ex hoc ſequitur, quòd homo moueatur naturaliter, nam motiones humanæ, in aliquo principio naturali fundantur. Nihil enim appetit homo, niſi ratione boni, ſecundùm illud principium: *Bonum eſt appetendum, malum fugiendum*, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum: nã reſpondetur, quòd etiã animalia participant ſuo modo de ratione æterna, ſed quia homo participat intellectualiter, & rationabiliter, ideo lex æterna in homine nuncupatur propriè: lex in brutis, quia non datur talis participatio per intellectum, propter hoc lex naturalis impropriè, metaphoricè, & ſimilitudinariè nuncupatur in eis, prout ſupradictum fuit, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, num. 1.

Proponuntur duo argumenta, num. 2.

Conſtituitur concluſio, ſcilicet, lex naturalis, vna eſt apud omnes homines, & probatur, num. 3.

Præcepta legis naturæ in triplici genere ſunt, oſtẽditur, n. 4.

Lex naturalis, in quo eſt vna apud omnes, & in quo poteſt eſſe varietas, num. 5.

Ex triplici inclinatione humanæ naturæ triplex genus prꝫceptorum naturalium colligitur, num. 6.

Inferuntur tria vtilia pro declaratione articuli, num. 7.

Conſtituitur ſecunda concluſio, ſcilicet, lex naturalis continet vnum prꝫceptum primum, ex quo plura deinde ſubſequuntur, num. 8.

Satisfit argumentis propoſitis, num. 9.

ARTICVLVS. II.

1 *Vtrùm lex naturalis ſit vna, & contineat plura præcepta, vel vnum tantùm.*

2 PRimò contra primam partem quæſiti, argumentor ſic. In c. ius naturale, 1. diſtin. *Ius naturale eſt, quod in lege, & Euangelio continetur*, ſed Euangelium non eſt commu

ne omnibus, vt ait Paulus ad Romanos, c. 10. *Non omnes obediunt Euangelio*; ergo lex naturalis non eſt vna apud omnes.

Secundò argumentor contra ſecundam partem quæſiti, ſic. Lex naturalis conſequitur naturam hominis, ſed humana natura eſt vna ſecundùm totum, licèt ſit multiplex ſecundùm partes: ergo vnum tantùm præceptum legis naturæ eſt.

3 His non obſtantibus ſit prima concluſio: ***Lex naturalis vna eſt in omnibus hominibus.***

Probatur concluſio, nam lex naturalis, eſt, veluti proprietas conſequens naturam humanam, quæ vna eſt: ergo vna erit lex naturalis. Tum etiã probari poteſt, non ſolùm ex vnitate naturæ, verũ etiã ex vnitate præceptorũ, quæ conueniunt in vnum finem, ſcilicet, conſtituendo hominem rectum ſecundùm inclinationem naturalem. Et ex vno auctore, ſeu Legiſlatore Deo, & ex vno modo præcipiendi bonum, & prohibendi malum. Probatur etiam auctoritate Iſidori in c. ius naturale, diſt. 1. in l. 1. ff. de iuſtitia & iure, & tenent ſanctus Thomas in 1. 2. q. 94. Suarez libro 1. de legibus, c. 8. Lorca de legibus, diſp. 8.

4 Sed vt prædicta concluſio meliùs intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd tres ſunt gradus præceptorum iuris naturalis. In primo gradu conſtituuntur illa prima principia omnibus per ſe nota, vt *Bonum eſt amplectendum, malum fugiendum, quod tibi non vis, alteri ne feceris*. In ſecundo gradu iuris naturalis conſtituuntur propoſitiones illæ, ſeu principia magis particularia, quæ deducuntur ex illis principijs primis, veluti concluſiones, & conſequentiæ neceſſariæ, & faciles. v. g. ex illo principio primo, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, infertur illicò, nõ vis occidi, ergo non occidas, non

vis furari, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non adulteraberis & eodem modo, ex illo alio principio primo: bonum eſt appetendum, malum fugiendum, infertur illicò: ergo Deus colendus eſt, parentes honorandi ſunt, non eſt furandum, non eſt adulterandum, non fornicandum, & in ſimilibus, & in iſto ſecundo gradu continentur præcepta Decalogi. In tertio autem gradu iuris naturalis conſtituuntur illa præcepta, ſeu concluſiones, quæ ex ſupradictis principijs deducũtur, & deriuantur in conſequentiam neceſſariã, ſed non tamen ita perſpicuè, euidenter, & de facili, vt vſuram eſſe iniquam, ſimplicem fornicationem malam, & ſimilia.

5. Ex dictis inſurgit difficultas, quæ eſt, an prædicta præcepta naturalia ſint eadem apud omnes ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm notitiam, nam viſum eſt, quòd diuerſæ nationes vſæ ſunt legibus contrarijs ſupradictis naturalibus relatis. Ad hanc difficultatem reſpõdetur, quòd licèt ex parte hominum ſit aliqua varietas in præceptis legis naturæ; non tamen eſt quo ad totam legem naturalem, nam quantùm ad prima principia communia, quæ in primo gradu conſtituta ſunt, eadem eſt lex naturalis apud omnes homines ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm notitiam: quantum autem ad particularia iura, præſertim quantùm ad illa, quæ ſunt ſecundi gradus iuris naturalis, quæ, veluti concluſiones inferuntur ex prædictis primis principijs de facili, etiam apud omnes, & ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm notitiam, eadem ſunt, vt plurimum. Dico, vt plurimum, ad aſſerẽdum, quòd de aliquibus concluſionibus prædictis ſecundi generis, in paucioribus poterit prædicta regula deficere, ſicut deficit de alijs principijs tertij generis, quæ maiori indigẽt diſcurſu, & non ita facilè à ſupradictis principijs deducuntur. Et

Digitized by Google

hoc prouenire poteſt, vel propter aliquas ſpeciales cauſas impedientes obſeruantiam talium præceptorum ex deprauata ratione hominum, vel ex ignorantia, ſeu ex mala conſuetudine, & habitudine naturæ, ſicut fuit apud Germanos olim, quòd furtũ non reputabatur iniquum, neque apud alios ſimplex fornicatio mala, & ſimilia alia, quæ expreſsè de iure naturali ſunt: ita ſanct. Thom. vt ſupra art. 4. 5. & 6. Suarez cap. 8. cum alijs.

6 Supponimus ſecundò, diuiſionem generalem pręceptorum iuris naturalis deſumi ex diuerſis hominum inclinationibus, & finibus proximis humanæ vitæ. Eſt namque in homine triplex inclinatio naturalis. Prima eſt, quam habet ad eſſe, viuere, & conſeruare, quæ communis eſt ipſi homini cum omnibus ſubſtantijs: nam vnaquæque ſubſtantia bonum ſuum appetit, & propter hoc dantur plura præcepta, ſeu principia iuris naturalis, quæ indicant modum conſeruandi vitam eſſe in cibo, & potu, & in ſimilibus. Secunda inclinatio hominis eſt communis cum omnibus animalibus ad conſeruandam propriam naturam, & ſpeciem, ad generandum ſibi ſimilem, ex qua proueniunt plura alia præcepta circa commixtionem maris, & fœminæ, filiorum educationem, & procreationem, & ſimilia. Tertia inclinatio eſt hominis propria, vt rationalis creatura eſt, & circa hoc plura præcepta naturalia homini adduntur ſecundùm diuerſos fines rationalis creaturæ, v. g. veritatem agnoſcere, vt viuat vita ſociabili, & politica, ſine aliorum hominum offenſione: vt ſit rectus, & compoſitus quo ad Deum, quo ad ſe, quo ad alios, quo ad parentes, quo ad ſuperiores, quo ad filios, quo ad æquales, quo ad inferiores: ita ſanctus Thomas, & Doctores ſupra citati.

7 Supponimus tertiò, quòd ex dictis aliqua inferuntur.

Infertur primò, quòd materia, circa quam verſatur lex naturalis, ſecundùm veriorem opinionem, ſunt omnia præcepta affirmatiua bona, quæ abſolutè præcipiunt aliquid faciendum, & omnia præcepta negatiua, quæ prohibent omnem actionem prauam alicui virtuti cōtrariam: & ratio eſt, quia cùm hæc ſit vera lex, & Deum habeat au ctorem, non poteſt eſſe, niſi honeſta, præcipiēdo bonum, & prohibendo malum. Infertur ſecundò, quòd omnes actus virtutum, ſecundùm rationem communem, etiam ſunt materia legis naturalis. Dixi ſecundùm rationē com munem: nam ſi cōſiderentur actus aliqui virtutum ſecun dùm materiam ſingularem, non omnes erunt materia legis naturæ, v.g. ieiunare tempore, quo non præcipitur, tali die, cum tali cibo, & multa alia, quæ determinantur à lege humana in diuerſis materijs virtutum. Neque loquimur de virtutibus Theologalibus infuſis, ſed tantùm de moralibus, quæ præcipiuntur lege naturali. Tertiò infertur, quòd verior ſententia eſt, quòd omnia præcepta, non ſolùm prima, ſed alia, quæ ex eis deducũtur, veluti cōcluſiones proximę, ſeu remotæ, omnes ſunt materia legis na turalis, & in quo conſiſtat aliqua differentia, infra cùm tractabimus de iure humano, & iure gentium, videndum erit: ita S. Thom. vt ſupra art.3. Suarez c.7. Gregorius de Valentia, p.4. cum alijs ſupra citatis.

2 His ſuppoſitis, ſit ſecunda concluſio. *Lex naturalis continet vnum pręceptum, ſeu principium primum, ex quo alia deinde deducuntur plura.*

Probatur concluſio, & declaratur: quia ſicut in ſpeculatiuis datur vnũ principiũ primũ, quo intellectus dirigitur, & fundatur in intellectu, quod eſt, *Idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe*: ita etiam in practicis datur aliud principium primũ, quo voluntas dirigitur, & fundatur in volun

tate,

tate, quod eſt, *Bonum eſt proſequendum, & malum fugiendum*, & ex hoc primo principio practico, tanquam ex quodam fonte oriuntur reliqua infinita alia præcepta naturalia, prout ſupra oſtenſum eſt: ita Sanctus Tho. vt ſupra artic. 2. & 3. poſt Ariſtotelem 1. Ethicor. c. 1. cum alijs ſupra citatis.

9 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum deſumptum, ex c. ius naturale, diſt. 1. Nam reſpondetur, quòd Gratianus, dum dixit, quòd ius naturale erat illud, quod continebatur in lege, & Euãgelio, nõ voluit dicere, quòd omne illud, quod continebatur in lege, & Euangelio erat ius naturale, nam plura cõtinentur in eo, quæ non ſunt iuris naturalis, ſed ſupernaturalis, & etiam conſilia: ſed voluit dicere, quòd ius naturale plenariè tractatur, & continetur in lege, & Euangelio: vt ait S. Thom. & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum: nam reſpondetur, quòd licèt natura humana vna ſit, & vnum ſit principium primum, ab eo tamen multa deriuantur, vt dictum eſt, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli, nu. 1.

Proponuntur duo argumenta, nu. 2.

Triplex modus excogitari poteſt mutationis legis naturæ, oſtenditur, nu. 3.

Conſtituitur prima concluſio: lex naturalis mutari poteſt per additionem, nu. 4.

Conſtituitur ſecunda concluſio: lex naturalis per ſubtractionem mutari non poteſt, nu. 5.

Conſtituitur tertia concluſio: lex naturalis, quo ad prima principia,

principia, & quo ad alia aboleri non poteſt, num. 6.
Explicatur tertia concluſio, nu. 7.
Oſtenduntur quatuor opiniones, an poſſit fieri diſpenſatio in lege naturę, nu. 8.
Declarantur prędictę quatuor opiniones, nu. 9.
In lege naturę poterit fieri interpretatio, nu. 10.
Satisfit argumentis in principio propoſitis, n. 11.

ARTICVLVS. III.

1 *Vtrùm lex naturalis mutari, & aboleri poſſit à cordibus hominum.*

2 PRimò pro parte affirmatiua argumentor, & probo, legem mutari, & aboleri poſſe, ſic. Cōtra legem naturalem eſt occiſio innocentis, fornicatio, furtum, vt in præceptis Decalogi continentur, ſed iſta non inueniuntur obſeruata à Deo, nam ipſe præcipit Abrahę, vt occidat filiū ſuū innocentem, Gen. c. 23. Præcepit Hębreis, vt mutua vaſa Ægyptiorum ſurriperent, Exo. c. 12. Præcepit Oſeæ, vt mulierem fornicariam acciperet in vxorem, quæ omnia de iure naturali ſunt: ergo lex naturalis mutari poteſt.

Secūdò. Communis omnium poſſeſsio, & libertas hominum, de iure naturali ſunt, ſed hæc videmus mutata eſſe per ius gentium: ergo lex naturalis mutari poteſt.

3 Sed antea quàm concluſiones conſtituamus, ſciēdum eſt, quòd tribus modis cogitari poteſt, legem naturalem eſſe mutabilem: vt ait S. Thomas loco proximè citando.

Primò modo mutatio fieri poteſt per additionem, vt ſi aliquid ſuperaddatur legi naturæ per legem humanam, vel

Digitized by Google

vel diuinam, quod antea non erat. Secundò fieri poteſt per ſubtractionem, vt ſi aliquid deſinat eſſe de lege naturæ, quod priùs fuit ſecundùm legem naturalem. Tertio modo fieri poteſt mutatio per abolitionem, vt ſi deleatur lex naturalis de cordibus hominum: & iuxta hos tres modos, tres concluſiones conſtituimus.

4 Prima concluſio. ***Lex naturalis mutari poteſt per additionem, vt ſi ei addatur aliquid, quod antea non erat de iure naturali.***

Probatur concluſio, quia multa præcepta ſuperaddita ſunt naturali legi, per legem diuinam, & humanam, plura præcepta cęremonialia, & iudicialia, in veteri teſtamẽto, plura alia ſacramentalia, & fidei in nouo Teſtamento, vt infra diſputatione 7. & 8. videndum erit, quæ maximè neceſſaria, & vtilia fuerunt ad humanã vitam, & ad finem vltimum ſupernaturalem conſequendum: & per legem humanam plura præcepta, etiam particularia, Pontificia, & Imperatoria addita ſunt in iure naturali, quæ in ipſo iure determinata non ſunt, nec conuenienter determinari potuerũt. V.g. de iure naturali eſt, quòd malefactores puniantur, ſed in particulari, qua pœna, forma, modo, loco, à iure humano determinatum eſt. Eodẽ modo, Deum colere de iure naturali eſt, in primo præcepto Decalogi, ſed in particulari tali ritu, tali ordine, talibus cæremonijs, de iure humano Pontificio eſt, & ſic mutatio per additionem in iure naturali fieri poteſt: ita tenet Sanctus Tho. in 1.2. q. 94. art. 5. Sotus de iuſtitia & iure, lib. 1. q. 4. art. 5. Gregorius de Valentia, to. 2. diſp. 7. q. 6. de lege naturali, Suarez lib. 2. de legibus c. 13. Lorca diſputat. 9. Vazquez, Medina, d. q. citata, art. 5 cum alijs.

5 Secunda concluſio. ***Lex naturalis per ſubtractionem mutari non poteſt, ita vt incipiat aliquid non eſſe de lege natu-***

naturali, quod priùs fuit ſecundùm legem naturalem.

Probatur concluſio, quia lex naturalis, quantùm ad prima principia, eſt omninò immutabilis: quantùm autem ad ſecunda præcepta, quæ ſunt, quaſi quædam concluſiones immediatè deductæ à primis principijs, nunquam mutantur, niſi in aliquibus in particulari: in illis, quæ ſunt tertij gradus, poteſt eſſe aliqua mutatio; ſed in paucioribus, & non in communi, propter aliquas ſpeciales cauſas, vel euentum, impedientes obſeruantiam talium præceptorum. V. g. Lex naturalis præcipit in communi, depoſitum proprio domino reddēdum eſſe, quod fieri non debet in caſu particulari, quo petitur ad damnificandum Rempublicam, vt ſi ferrum petat aliquis ad nocendum proximo: & ſimiliter, præceptum naturale eſt, vt ſeruetur ſecretum; quod tamen violari poteſt, ſi ad defenſionem Reipublicæ, vel innocentis neceſſarium fuerit. Et eodem modo de iure naturali eſt non occidere: tamen ad propriam defenſionem licitum eſt occidere, & in ſimilibus prout ſupra dictum fuit.

Aduertendum, quòd dixi, in particulari, & in paucioribus, & propter aliqua ex ſupradictis cauſis: nam generaliter, & tali cauſa deficiente, ius naturale ab omnibus ſeruatur: ita S. Tho. vt ſupra; Suarez, c. 13. Lorca vt ſupra cũ alijs.

6 Tertia concluſio. *Lex naturalis, quo ad communia, & vniuerſalia præcepta, & alia proxima, è cordibus hominũ aboleri non poteſt, ſed tantùm, quo ad aliqua particularia, & pauciora.*

Probatur concluſio, quo ad proximam partem, auctoritate Auguſtini, qui ait. *Lex tua, Domine, ſcripta eſt in cordibus hominum, quam nec vlla quidem delet iniquitas.* Quæ auctoritas intelligitur de primis principijs, & de alijs,

Digitized by Google

alijs, quæ ab illis immediatè deducūtur. Probatur quoque concluſio quoad ſecundam partem, id eſt, quoad particularia præcepta, nam homo plura facit contra legem naturalem, perſuaſionibus peſsimis, cōſuetudinibus prauis, atque corruptis habitibus, ita vt intellectus obſcuratus non agnoſcat, quid rectum, & quid prauum ſit, prout ſupra in articulo præcedenti, num. 5. dictum etiam fuit, & tenet S. Thom. vt ſupra art. 6.

7 Aduertendum tamen eſt, quòd cùm dicimus, legem naturalem, quoad particularia principia, & in paucioribus poſſe de mentibus hominum deleri, quaſi per ſeparationem à ſubiecto, in quo ineſt: non dicemus tamen tūc, ſecundùm alios, omnino de mētibus omnium hominum deleri, quia licèt quædam gentes errent circa vnum præceptum, & aliæ circa aliud: nullum tamen præceptum naturale eſt, quod aliquibus ſaltim hominibus per lumen naturale non manifeſtetur, & hoc ſatis eſt, vt ſimpliciter dicamus, nullum præceptum naturale totaliter deleri de mentibus omnium hominum, per ignorantiam, vel per errorem, vel malis habitibus, prout ſupra in articulo præcedenti, nu. 5. dictum fuit.

8 Oſtēſum eſt, legem naturalem mutari, & de cordibus hominum deleri non poſſe. Difficultas modò eſt, ſi ſaltim in ea poſsit fieri diſpenſatio, vel per humanam, vel per diuinam potentiam. Ad quam difficultatem dico, quòd de humana poteſtate ferè omnes fatentur, & eſt probabilior ſententia, quòd in hominibus non reperitur talis poteſtas diſpenſandi in iure naturali: & ratio clara eſt, nam inferior ſuperioris legem mutare non poteſt, quod fit per diſpenſationem. Difficultas ergo reſtat de poteſtate diuina, ſi per eam hoc fieri poſsit. Et anteaquàm hoc diſſeramus, aduertendum eſt illud, quod in præcedenti articulo

Digitized by Google

culo, num. 4. adnotauimus, ſcilicet, quòd tres ſunt ordines præceptorum naturalium. In primo ordine ſunt prima, & vniuerſaliſsima principia. In ſecundo ſunt quædam veluti concluſiones immediatè deductæ ex primis principijs, vt præcepta Decalogi, & ſimilia. In tertio ordine erunt illa præcepta, ſeu concluſiones, quæ non ita facilè ex prædictis principijs deducuntur. Quo ſuppoſito, breuiter ad difficultatem propoſitã reſpõdemus, quòd in hoc, quatuor opiniones reperiuntur.

9 Prima opinio generaliter affirmat, poſſe Deum diſpẽſare per potentiam ſuam abſolutam in omnibus præceptis naturalibus: & ratio iſtius opinionis eſt, quia quilibet Legislator poterit diſpenſare in ſua lege: ergo Deus, qui eſt auctor naturæ, in lege naturali diſpenſare poteſt. Tũ, quia nulla datur implicatio cõtradictionis ad hoc faciendum, nam furtum, homicidium, adulterium, & reliqua, quæ lege diuina prohibentur, mala ſunt, quià prohibita ſunt, ac proinde dicunt iſti, quòd ſi non eſſent prohibita, non eſſent mala, & ſic Deus poterit auferre prohibitionem, & diſpenſare in eis, quia non eſt impoſsibile apud Deum omne verbum: ita tenent Ocham, 2. q. 19. Gerſon Alphabeto 6. & alij: ſed prædicta opinione omiſſa, quia ex prædictis fundamentis ſuſtentari non poteſt:

Secunda opinio tenet, Deum poſſe diſpenſare in aliquibus præceptis legis naturæ, non tamen in omnibus: quæ autem ſint illa præcepta, in quibus diſpenſare non poſsit, non eodem modo explicant, & concordant Sotus, Bonauentura, Durandus, & alij.

Tertia opinio eſt. In præceptis primi, & ſecundi ordinis, Deum non poſſe diſpenſare: in reliquis verò tertij ordinis, quæ ſunt, veluti concluſiones remotiores, diſpenſare poſſe. Quam ſentẽtiam optimis fundamentis probat

Sanctus

Sanctus Thom. quem ſequuntur Caietanus, Medina, Conradus, & alij in 1.2. q. 100. art. 8. Sotus de iuſtitia & iure, lib. 2. q. 3. art. 8. & alij.

Quarta opinio eſt, Deum in nullo præcepto legis naturæ diſpenſare poſſe. Quod pluribus rationibus oſtenditur, & præſertim, quia dicitur implicatio contradictionis, & quia quidquid præcipitur per ius naturæ, eſt ita bonum & quod prohibetur, ita malum, quòd nullo pacto in eo diſpenſari poteſt: ita tenent Lorca, vt ſupra, diſput. 9. n. 2. & diſputant de hoc copioſè, Suarez, vt ſupra, cap. 15. Sotus, & alij ſupra citati.

10 Dictum eſt de diſpenſatione, an cadere poſsit in iure naturali: dicendum reſtat modò, ſi in ea lege interpretatio, ſiue à Deo, ſiue ab homine fieri poſsit. Et omiſſa varietate opinionum, nam alij dicunt, quòd à ſolo Deo poteſt fieri interpretatio in lege naturæ, alij ab hominibus, & alij, neque ab hominibus, neque à Deo: propterea dico breuiter, quòd communis ſententia eſt, & ferè omnes Doctores conueniunt, & fatentur, legem naturalem interpretari, & exponi poſſe, & multa præcepta naturalia indigere ea interpretatione, ad verum ſenſum vniuſcuiuſque ſtatuendum: ergo veriſimile non eſt, vt fatentur aliqui, hanc poteſtatem ſibi Deum reſeruaſſe, & non hominibus, quos ſuos miniſtros conſtituit, commiſiſſe: nam ſi ita non eſſet, multùm defeciſſet Deus cum hominibus in neceſſarijs, quod non eſt prouidentiæ ſuæ conſentaneum: ergo dicendum eſt, hanc poteſtatem, Deum hominibus miniſtris ſuis dediſſe. Et ratio iſtius declarationis, & interpretationis eſt, quia non omnia præcepta naturalia ſunt æquè nota, neque æquè facilia ad cognoſcendum, & propter hoc plura ex illis indigent interpretatione, & declaratione, vt verum illorum ſenſum aſſequamur.

mur. Patet hoc expreſsè varijs exemplis. V. g. præceptum naturæ eſt, non occidendum: interpretatur tamen, & exponitur, quòd non omnis occiſio hominis, homicidium erit, ſed tantùm quod fit priuata auctoritate, & non publica, vel ad defenſionem ſui ipſius. Similiter præceptum non furandi, de iure naturali eſt: interpretatur tamen, quòd in extrema neceſsitate non erit furtum. Et eodem modo depoſitum, quòd reddatur vero domino, de iure naturali eſt: interpretatur tamen, quòd quoties petitur in caſu, quo eſſet contra iuſtitiam & charitatem reddere, tunc non erit reddendum. Similiter iuramentum ſeruandum, de iure naturali eſt: interpretatur tamen, quòd non intelligitur, quando promiſsio iuramenti fuit de re illicita. Et eodem modo dicendum erit de votis, in quibus frequenter fit interpretatio: ergo concludendum eſt, quòd in aliquibus præceptis naturalibus interpretatio, & declaratio ab homine habente poteſtatem fieri poteſt: ita Suarez, Sotus, & alij locis ſupra citatis.

11 Non obſtāt modò in contrarium adducta argumenta. Non primum deſumptum ex varijs exemplis ſacræ Scripturæ, nam ſingulis reſpondetur. Ad primum exemplum de occiſione innocentis, reſpondetur, quòd non fuit illud contra legem naturalem, quæ ſolùm prohibet, ne occidatur priuata auctoritate, vt dictum eſt: tunc non fuit priuata auctoritate, ſed publica Dei mandato, qui vitæ, & mortis habet imperium. Nec obſtat ſecundum exemplum, quod de iure naturali eſt, non accedere ad mulierē, ſine præuio contracto matrimonio, & in eo Deus non diſpenſauit cum Oſea, imò præcepit, vt eam, quæ priùs erat fornicaria mulier, duceret in vxorē. Nec obſtat tertium exemplum, nam reſpōdetur, quòd lex naturalis prohibet furtum, & quòd non accipiatur res aliena, quàmdiu alie-

Digitized by Google

na eſt, inuito domino, ſed Deus nõ diſpenſauit in tali pręcepto, ſed ſolùm conceſsit Hebræis, vt acciperent illa vaſa, tãquam propria, per donationem factam ab ipſo Deo, qui eſt dominus vniuerſarum rerum; & ſic non fuit vllo pacto diſpenſatum in iure naturali, in furto: & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum argumentum, nam reſpondetur, quòd communis poſſeſsio, & libertas non ſunt de iure naturæ præcepta poſitiuè, ſicut præcepit bonum amplectendum, malum fugiendum, & ſimilia: dicuntur tamen de iure naturæ priuatiuè, quia in illis ius naturæ cõtrarium non ſtatuit, & ſic poterunt mutari humano iure per additionem, vt ſupra num. 4. dictum fuit, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quęſitum articuli, nu. 1.
Proponuntur tria argumenta, nu. 2.
Aliqua pręcepta iuris gentium conſtituuntur, nu. 3.
Conſtituitur difficultas, an ius gentium conſtituatur ſub iure naturali, vel humano, nu. 4.
Oſtenditur, in quibus conueniat ius gentium cum iure naturali, n. 5.
Oſtenditur, in quo differat ius gentium à iure naturali, n. 6.
Oſtenditur, in quo conueniat, & differat ius gentium à iure ciuili, nu. 7.
Conſtituitur concluſio, ſcilicet, ius gentium ſub poſitiuo iure conſtituitur, nu. 8.
Oſtenditur, ſi ius gentium derogari poteſt, nu. 9.
Satisfit argumentis propoſitis, nu. 10.

ARTI.

Digitized by Google

ARTICVLVS. IIII.

1 *Vtrùm ius gentium ſit idem cum iure naturali.*

2 PRo parte affirmatiua argumentor ſic. Ius illud, in quo omnes homines conueniunt, non poteſt eſſe, niſi ius naturale, quod commune eſt omnibus: ſed in iure gentium omnes homines conueniunt, vt in l 1. ff. de iuſtitia & iure, in §. ius gentium, inſt. de iure naturali: ergo ius gentium, & naturale idem ſunt.

Secundò. Seruitutes de iure gentium ſunt, vt in l. manumiſsiones, ff. de iuſtitia & iure, in c. ius gentium ſupra citato: ſed multi naturaliter ſunt ſerui, vt ait Ariſt. 1. Politico. ergo ius gentium idem eſt cum iure naturali.

Tertio. Ius diuiditur in naturale, & poſitiuum: vt ait Ariſt. 5. & 7. Ethic. & Sanctus Thomas 2. 2. q. 57. art. 2. ſed nunquam vniuerſæ mundi gentes conuenerunt, vt ius aliquod ſtatueretur: ergo naturæ idem ius docuit, & ſic ius gentium naturale eſt.

3 Sed antequàm concluſionem cōſtituamus, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd conſtituitur, tam à Philoſophis, quàm à Iuriſperitis, & Theologis aliquod ius, quod vocatur ius gentium, ad quod pertinent omnes illæ regulæ, præcepta, leges, ſeu cōcluſiones, quæ ab omnibus gentibus, & nationibus obſeruantur, tanquam iuſtæ, & neceſſariæ ad cōuictum, & ſocietatem humanam. V. g. quòd Legati ſint immunes, quòd agri diuidantur, religio erga Deum, obſequium erga parentes, pietas in patriam, bella, paces, fœdera, ſeruitutes, dominia, & omnes contractus, & alia, quæ iure gētium introducta ſunt, vt in

Digitized by Google

l. 2. & 3. ff. de iuſtit. & iur. In §. 1. & ſequentibus, inſtit, de iur. naturali gent. & ciuili, in c. ius gentium, diſt. 1.

4 Supponimus ſecundò, quòd in iſto articulo dubiũ maximum ſe offert, videlicet, ſi ius gentium contineatur ſub iure humano, vel potius ſub iure naturali. In qua difficultate, & in declaratione eſſentię iuris gentium, non ſolùm Iuriſprudentes, ſed etiam Theologi, & Philoſophi, variè, & obſcurè loquuntur: Iuriſprudentes confundunt interdum ius gentium cum iure naturali, interdum diſtinguunt. S. Tho. nunc vnam, nunc alteram explicationem ſequitur, recẽtiores Doctores in varia placita diuiſi ſunt. Iuriſperiti in l. 1. & in l. omnes populi, ff. de iuſt. & iur. & in diuiſione, quam conſtituunt de iure naturali, gentium, & ciuili, duplex ius naturale conſtituunt: alterũ primarium, quod faciunt commune nobiscum brutis, vt maris, & fœminæ coniunctio, filiorum educatio, & procreatio. Alterùm verò ſecundarium, quod vocant homini proprium, quod dirigit ad communem ſocietatem. Sotus verò, de iuſt. & iur. lib. 1. q. 5. art. 4. ius gentium à lege naturali non diſtinguit, niſi quia lex naturæ reſpicit principia prima, & communia, ius gentium ea principia, quæ deſcendũt ex primis principijs, & concluſiones certas, quæ deducuntur. Medina in 1. 2. q. 93. art. 4. dicit, ius gentium eſſe præcepta illa, quæ ex principijs naturalibus, non neceſſariò, & ſimpliciter neceſsitate abſoluta deducuntur, ſed facta aliqua ſuppoſitione. Gregorius de Valẽtia diſp. 7. q. 6. p. 2. aſſerit, ius gentium illud eſſe, quod ex principijs naturalibus non neceſſariò, ſed probabili concluſione deducitur: quapropter, quamplurimis alijs varijs ſententijs omiſsis, tantũ quę in hac re neceſſaria iudicamus, explicãda ſunt.

5 Supponimus tertiò ad intelligendum controuerſiam ſupradictam, ius gẽtium eſſe medium inter ius naturale, &

& ciuile, ac propterea vtrique eſſe plurimùm ſimile, & ab vtroque etiam differre; ſicut frequenter ſe habere ſolent media cum extremis, & propter hoc videndum erit, in quo ius gentium, & naturale conueniant, & in quo differant. Ius gentium cōuenit cum iure naturali. Primò, quia vtrumque eſt aliquo modo commune omnibus hominibus, quapropter ius gentium naturale appellatur in l. omnes, ff. de iuſtitia & iure, in §. 4. inſtit. eod. titul. Secundò conueniunt, quia ſicut materia iuris gentium ſolùm inter homines locum habet, ita etiam ius propriè naturale. Tertiò conueniunt, quia ſicut ius naturale non habetur in ſcriptis, nec inuenitur, quando, aut vbi fuerit inſtitutū, ita & ius gentium. Quartò conueniunt, quia ſicut ius naturale promulgatione non indiguit, ita & ius gentiū nullam habuit neceſsitatem alicuius æternæ promulgationis. Quintò conueniunt, quia ſicut ius naturale, vel eſt primum principium, vel concluſiones, quæ neceſſariò per vim illationis deducuntur: ita etiam ius gentium eſt veluti concluſiones ex primis principijs deductæ, quamuis deducantur conſequentia non neceſſaria.

6 Differt tamen ius gentium à iure naturali primò, quia ius gentium non eſt ita immutabile, ſicut & ius naturale.

Secundò, quia naturale ius omnibus gentibus eſt cōmune, ius autem gentium non ſemper omnibus, ſed ferè omnibus commune eſt, vt in c. ius gentium, diſt. 1. Tertiò differunt, quia licèt vtrumque ius deducatur ex principijs primis, per modum concluſionis: ea tamē, quæ ſunt de iure naturali, inferuntur in conſequentiam omninò neceſſariā: ita vt oppoſitū illius habeat intrinſecā iniuſtitiam: quæ autem ſunt de iure gentium inferuntur ex eiſdem principijs & diſcurſu, natura quaſi dictāte per modū concluſionis, non tamen ſunt ſimpliciter neceſſariæ, ſed

con-

Digitized by Google

congruentes tantùm, & oppoſitum illorum continet intrinſecam iuſtitiam. V.g. rerum diuiſio, oppoſitum, quod eſt viuere in communi nō eſt intrinſecè malum, vt patet in religionibus modò, & fuit in primitiua Eccleſia inter fideles. Quartò differunt potiſsimè, quia præcepta legis naturæ deducuntur ex principijs neceſsitate ſimpliciter, quæ verò deducuntur de iure gentium, ſolùm deducuntur facta quadam ſuppoſitione. V.g. ad conſeruandum genus humanum neceſſariò eſt abſolutè, & ſimpliciter coniunctio maris, & fœminæ, quæ eſt de iure naturali: ſimiliter, vt natura humana ſuſtentetur, quòd prata arentur, & pax, & tranquillitas ſeruetur, ſed præſuppoſita imbecillitate naturæ humanæ, quæ poſt peccatum primi parentis corrupta manſit, & prona ad malum, & ad bonum proprium magis, quàm ad bonum commune, neceſſarium fuit ex iure gentium, vt poſſeſsiones diuiderentur vt homines magis mouerentur ad ea colenda, & hinc bella, fœdera, contractus, & ſimilia inſtituta ſunt, vt homines vita politica, & ſociabili viuere poſſent.

7 Supponimus quartò, quòd videndum eſt etiam, in quo ius gentium conueniat, & in quo differat cum iure ciuili. Ius gentium conuenit cum iure ciuili primò, quia vtrumque deriuatur à iure naturali, non neceſſariò, ſed ſecundùm quandam conuenientiam. Secundò conueniunt, quia vtrumque humana ratione diſcurrente, non ex inſtinctu naturæ, ſed ex conſenſu hominum tacito, vel expreſſo, introductum eſt. Differt tamen ius gentium à iure ciuili, non ſolùm, quia ius ciuile eſt ius vnius ciuitatis, aut Regni, ius autem gentium eſt commune omnibus gentibus, ſed etiam; quia præcepta iuris gentium, non ſcripto, ſed moribus, non vnius, vel alterius ciuitatis, ſed omnium, vel ferè

K om-

Digitized by Google

omnium nationum conſtat, vt in §. ius autem, inſtit. de re natural. gent. & ciuil. Ex quo colligitur diffinitio iuris gentium, quæ eſt, *Ius gentium, quod ex conſenſu populorum illis omnibus, aut ferè omnibus commune eſt.*

8 His ſupradictis ſuppoſitis. Concluſio eſt, *Ius gentium propriè, & verè ſub poſitiuo iure continetur.*

Probatur cõcluſio. Primò, quia rerũ diuiſiones, ſeruitutes, & ſimilia, nõ ſunt inſtituta à natura, ſed per rationem humanã excogitatam: ergo ius gentiũ ſub poſitiuo continetur. Tum ſecundò, quia ius naturale diſtinguitur formaliter à iure poſitiuo, quia illud nullo modo pendet ex hominum beneplacito, & conſenſu: ſed ſimpliciter eſt neceſſarium. Ius verò poſitiuum non eſt ſimpliciter neceſſarium, ſed introductum eſt ex hominum beneplacito, & conſenſu: ſed ius gentium eſt huiuſmodi, vt ex præcedentibus, & ſubſequentibus conſtat: ergo ius gentium propriè poſitiuum eſt, patet ex auctoritate grauiſsimorum Doctorum, & tenet Sanct. Thom. 1.2. q. 95. art. 2. & 4. quæſtione. 94. art. 5. ad tertium, & 2.2. quæſt. 57. art. 3. ad tertium, Sotus de iuſtitia, & iure, lib. 1. quæſt. 5. art. 4. & lib. 3. quæſt. 1. art. 3. Bellarminius lib. 1. de elect. cap. 29. Couarru. in regu. peccatum, 2. p. §. 11. nu. 4. Turrecremata in cap. ius gentium, diſtin. 1. Suarez lib. 2. cap. 19 de legib. diputat. 7. Vazquez, & reliqui interpretes Sancti Thom. in 1.2. & 2.2 locis ſupra citatis.

9 Difficultas ſolùm reſtat, an ius gẽtium derogari poſsit. Ad quam difficultatem dico primò, quòd licet ius gentium ſpeculatiuè, & ſecundùm ſe conſideratum derogari poteſt, quia eſt ius poſitiuum, quod vim habet ex hominum cõſenſu, & inſtitutione: eodem modo hominum conſenſu, & beneplacito abrogari poteſt.

Dico ſecundò, quòd de facto, & practicè loquendo. ius

ius gentium ſecundùm totam ſuam latitudinem, & ſecundùm omnes ſuas partes, & præcepta, non poteſt abrogari in vniuerſum apud omnes gẽtes: & ratio eſt, quia eſt ius commune, ex vſu & more gentium introductũ, & neceſſe eſt vt omnes Principes Reipublicę conuenirent, & in id omnes conſentirẽt, quod, moraliter loquẽdo, impoſsibile eſt. Tum, quia ſunt aliqua de iure gentium, ita vtilia, & neceſſaria ad humanum conuictum, quòd illa abrogare eſſet intolerabile, & iniuſtum, & fortaſſe propter propinquitatem iuris gentium cum iure naturæ, nulla eſſet derogatio. Dico tamen tertiò, quòd ius gentium poteſt derogari ſecundùm aliquam partẽ, prout factum fuit à Republica Chriſtiana, nam de iure gentium ſunt diuiſiones rerum, & ſeruitutes: tamen in principio naſcentis Eccleſiæ, tota multitudo fidelium poſsidebat omnia, & viuebat in communi, & ſeruitus inter Chriſtianos abrogata eſt, ita vt modò Chriſtianus capiens Chriſtianũ, etiam in bello iuſto, non poteſt illum habere pro ſeruo, vt in c. ius ciuile, in c. ius gentium, 1. diſtin. in §. ſeruitut. inſtit. de iure perſ. & notat Bart. in l. hoſtis, ff. de captiuis, nu. 16. Et confirmatur, nã Romanus Pontifex poteſt modò omnes leges poſitiuas Eccleſiaſticas derogare, & Rex omnes leges ſui Regni, licèt peccarent contra optimam, & debitam gubernationem: factum tamen teneret ergo ſimiliter, & eodem modo iudicandum erit de iure gentium in aliqua prouintia particulari: ita Suarez, capite 20. cum alijs ſupra citatis.

10 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum deſumptum, ex l. 1. ff. de iuſtitia & iure, nam reſpondetur negando, quòd omne illud, in quo omnes gentes conueniunt, ſit de iure naturali, vt declaratum eſt, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum argumentum deſumptum ex auctoritate Ariſt. 1. Politicor. in quo habetur, quòd ſeruitus eſt de iure naturali, nam reſpondetur, quòd intelligitur, & loquitur Ariſtot. de iure naturali ſecundario, quod eſt ius gentium, vt ſupra declaratum fuit, nu. 4. & ſoluitur ſecundum argumentum.

Non obſtat tertium argumentum, nam reſpondetur, quòd verum eſt, quòd ad ius gentium conſtituendum, requiſitus fuit conſenſus hominum, non tamen conuentus, vt ad ius ciuile requiritur, quod potuit eſſe, & introduci ex ipſo vſu, & traditione in vniuerſo orbe paulatim, & per ſucceſsionem, & imitationem mutuam populorum, ſine ſpeciali conuentu, vel conſenſu omnium populorum vno tempore facto, & ſoluitur argumentum, articulus, & diſputatio quarta

(:::)

DE

Digitized by Google

DE LEGE HVMANA SECVNDVM SE.

DISPVTATIO quinta.

IN TRES ARTICVLOS diuiſa.

Poſt legem æternam, & naturalem, de lege humana dicendum eſt: & licèt ex poſitiuis legibus diuina, nobilior, & dignior ſit: quia tamen hæc humana eſt nobis notior, & propinquior naturæ, ideò de ea priùs diſputamus.

SVMMARIVM.

Proponitur quęſitum articuli, nu. 1.
Proponuntur duo argumenta, nu. 2.
Conſtituitur concluſio, quòd pręter legem naturalem, neceſſaria ſit lex humana, nu. 3.
Oſtẽditur, cur dicatur lex humana, & cur lex poſitiua, n. 4.
Conſtituitur diffinitio legis humanæ, nu. 5.
Principes habẽt poteſtatẽ cõdendi leges ciuiles, oſtenditur, n. 6.
Conuenientius eſt, homines gubernari legibus, & non arbitratu ſolo Principum, nu. 7.
Satisfit difficultati, quæ fit contra prouidentiam diuinã, n. 8.
Reſpondetur argumentis propoſitis, nu. 9.

Digitized by Google

ARTICVLVS. IIII.

1 *Vtrùm præter legem naturalem, neceſſaria nobis fuerit lex humana.*

2 PRimò pro parte negatiua argumentor ſic. Intentio cuiuslibet legis eſt, vt per eam homines fiant boni: ſed homines magis ad hoc inducuntur monitionibus, & voluntariè, quàm coacti per leges: ergo neceſſaria non fuit propter hoc, lex humana.

Secundò, Diuus Auguſtinus, lib. 1. de libero arbitrio ait. *Per legem æternam omnia ſufficienter ſunt ordinatiſſima, & illa lex æterna, ſatis & abundanter per naturalem nobis communicatur*: ergo lex humana ſuperflua eſt.

3 His non obſtantibus, concluſio eſt: *Neceſſarium fuit, præter legem naturalem, aliam legem humanam conſtituere.*

Probatur cõcluſio. Primò, auctoritate Diui Iſidori, cuius ſententia refertur in c. factæ ſunt, 4. diſtinctione. *Factæ ſunt* (inquit Diuus Iſidorus) *leges, vt earum metu, humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur audacia, & nocendi facultas.* Et ratio eſt, quia lex naturalis generalis eſt, & ſolùm continet quædam principia prima per ſe nota, & extenditur ad eas concluſiones, quæ neceſſariò ex illis principijs primis deducuntur, ſed actiones humanæ in ſingularibus verſantur, in quibus neceſſe eſt conſiderare circunſtantias loci, temporis, rerum: ideò præter illa principia, & concluſiones generales legis naturæ, multæ aliæ leges particulares ſunt neceſſariæ in Republica humana ad eius gubernationem, & conſeruationem,

Digitized by Google

tionem: & propter hoc neceſſarium fuit, vt per legem humanam aliqua principia, ſeu leges, magis in particulari determinarentur, circa ea, quæ per ſolam rationem humanam diffiniri, & determinari non poſſunt, vt ſunt leges, in quibus pœnæ determinantur, emptiones, venditiones, commutationes, & aliæ, ſine quibus genus humanum tranſigere non poteſt. Tum ſecundò, quia homo naturalem habet inclinationem ad virtutem, quam perfectè adipiſci non poteſt ſine aliqua diſciplina, & arte: igitur propter eruditionem neceſſariæ fuerunt leges humanæ: & licèt homines iuſti, & virtute præditi ſola ratione, ductu, & auxilio diuino de facili mouerentur ad virtutem: hi tamen pauci ſunt, & maior pars hominum, præſertim iuuenum, metu indigent, vt abſtrahantur ab indebitis delectationibus, & præſertim illi, qui ſunt adeò duri, & proterui, & ad vitia proni, à quibus nullatenus auerti poſſunt; oportuit, vt in hoc, metu à malignitate eorum cohiberentur, vt ſaltim alijs vitam quietam relinquant, & malefacere deſinant, quod fit per legem humanam: ergo ex hoc concludendum eſt: *Lex humana neceſſaria fuit.* Patet etiam auctoritate grauiſsimorum auctorum, & tenent Plato lib. 4. de legibus Ariſt. lib. 10. Ethicorum, capite 9. Diuus Iſidorus, lib. 5. cap. 21. Diuus Auguſtinus Epiſtola 50 & 54. S. Thom. 1. 2. q. 95. art. 1. Sotus de iuſtitia & iure, lib. 1. q. 5 art. 1. Valentia tom. 2. diſputat. 7. q. 5. de lege humana, p. 3. Suarez in c. cauſa autem, diſt. 4. cum alijs.

4 Sed vt clariùs iſte articulus intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd hæc lex dicitur lex humana, & lex poſitiua. Poſitiua dicitur, quia non eſt innata nobis cum natura, ſicut eſt lex naturalis: vel dicitur poſitiua, quaſi addita, & ſuperaddita naturali

legi.

Digitized by Google

legi. Dicitur quoque lex humana, non quia hominibus impoſita ſit, nec quia in hominibus illis ſit, qui per illam gubernantur; nec dicitur humana à materia, quia fertur de rebus humanis, & non diuinis, nam licèt hæc omnia conueniant huic legi, dicitur lex humana propriè, quia ab hominibus inuenta, & excogitata eſt.

5 Viſo cur dicatur lex humana, & poſitiua, videndum eſt modò, quæ ſit eius diffinitio. *Lex*, ergo, *humana, eſt rectum decretum rationis conuenientis legi naturali, & æternæ, per rationem probabilem ab habente auctoritate ſancitum, præſcribens aliquid, quod ſit à ſubditis neceſſariò ſeruandum*: ita Iſidorus, lib. 5. Ethimologiarum, cap. 4. & colligitur à Sanct. Thoma in 1.2. quæſtion. 91. art 3. & quæſt. 94. art. 2. & tenet Suarez de legibus, lib 1. cap. 3.

6 Supponimus ſecundò, Principes ſupremos habere poteſtatem à Deo condendi leges ciuiles, vt colligitur ex illo Prouerbior. cap. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*: & ratio clara eſt, quia Principes habent poteſtatem regendi ſuos ſubditos, ſed hoc præſtari non poteſt ſine legibus humanis: ergo conſequenter poteſtatem habent eas condendi. Tum ſecundò, quia ſubditi debent habere aliquam regulam, quam ſequantur in commercijs, & contractibus ciuilibus: hæc regula non poteſt eſſe alia, niſi lex ciuilis, & humana auctoritate Principum inſtituta, nam ſola lex naturalis non ſufficit, cùm non deſcendat ad particularia. Neque lex Moſaica, quia illa iam abrogata eſt. Nec lex Euangelica, quia illa tantùm tractat de rebus diuinis, & cæleſtibus, & de fine illo vltimo ſupernaturali: ergo neceſſe eſt, vt illa ſit lex humana, à Principe conſtituta, quæ tractat de fine natu-

naturali, politico, & ciuili, vt tenet Diuus Auguſtinus lib. 19. de ciuitate Dei, & copioſè de hoc diſputāt Doctores, & Suarez de legibus lib. 3. & nos diximus in diſputatione 1. art. 2. n. 6. & 7.

7 Supponimus tertiò, quòd in præſenti ſolet diſputari, an vtilius ſit Reipublicæ, quòd Principes ſuo arbitrio, vel cōſilio ſuorum magiſtratuum, ſine legibus ſcriptis ſubditos ſuos gubernent, & præſertim cùm Ariſtoteles dicat lib. 5. Ethic. cap. 4. quòd Princeps eſt iuſtum animatum, leges verò ſcriptæ, iuſtum inanimatum, & meliùs, & conuenientiùs gubernentur homines per legem animatam, & viuā, quàm per legem inanimatam, & mortuam, & ſic leges humanæ neceſſariȩ non videntur. Ad hanc difficultatem dico breuiter, nullo pacto expedire, Principem ſeù magiſtratum proprio arbitrio ſine legibus homines iudicare, & ſuos ſubditos regere. Quod patet multipliciter. Primò, quia qui leges condunt, decernunt id quod iuſtum eſt, vniuerſaliter abſtrahendo à ſingularibus perſonis, & ſic non poteſt timeri, quòd odio, timore, vel alia cauſa à iuſto declinent, ſicut timeretur, ſi Princeps, & Senatores, quoniā homines ſunt, proprio arbitratu iudicarent. Tum ſecūdò, quia difficile eſt inuenire multos Principes, & Senatores, prudētia, iuſtitia, & ȩquitate, ita prudentes, qui in ſingulis euentibus, eorum arbitratu, ſine legibus valeant rectè iudicare. Tum tertiò, quia leges fuerunt matura cōſideratione conſtitutæ, perpenſis multis euentibus, & experientia multi temporis, quapropter ab eis iuſtum optimè deduci poteſt: iudicia repentina, quia paruo tempore excogitata ſunt, in eis facilè contingit error. Tum denique, quia leges ad omnes diriguntur, & ſi aliquid arduū, & difficile reperiatur in eis, nemo ægrè fert; ſi autem præciperent Principes, & Senatores, eorum arbitratu, facilè

Digitized by Google

diceretur, quòd id factum fuerit odio, amore, vel alia cauſa, & ob id neceſſariæ fuerunt leges humanæ, vt optimè ciues gubernarentur: ita Sanctus Thomas, vt ſuprà cum alijs citatis.

8 Nec obſtat, ſi dicatur contra prouidentiam diuinam, quòd potuerat Deus, & fortaſſe cõſultiùs eſſet, quòd per legem naturalem, vſq; ad ſingularia doceret nos omnia. Nam ad hoc reſpondetur, factum hoc non fuiſſe, quia expediebat, Deum gubernare naturam humanam, ſecundùm ſuam inclinationem naturalem, quæ eſt ratiocinari, & ſatis fuit conſtituere illi principia communia, & generalia legis naturę, vt deinde per illa principia homines ratiocinando, conſtituerent particularia præcepta legis humanæ, ita tenet Sotus, vt ſuprà.

9 Non obſtant tandem in contrarium adducta argumẽta. Non primum, nam reſpondetur, quòd homines benè diſpoſiti meliùs inducuntur ad virtutem monitionibus voluntarijs, quàm coacti, ſed ſunt quidã ita malè diſpoſiti, qui non inducuntur, niſi cogantur. Et propter hoc, neceſſariæ fuerunt leges humanæ, vt n. 3. dictum fuit, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd lex naturalis, eſt quædam participatio legis æternæ, per quã ineſt nobis cognitio quorundam communium principiorũ, & concluſionum, quæ ex prædictis deducuntur, non autẽ inſunt nobis particulares directiones ſingularum rerum prout in æterna lege continentur, & ideò præter illa principia generalia legis naturę, neceſſarium fuit, vt lex humana procederet ad particulares ſanctiones, vt dictum eſt,

10 & tenet Sanctus Thomas loco citato, & ſoluitur argumentum, & articulus.

Digitized by Google

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli. n. 1.
Proponuntur duo argumenta, n. 2.
Conſtituitur concluſio, ſcilicet: omnis lex humana recta eſt, ſi à lege naturali deriuetur, n. 3.
Dupliciter deducitur lex humana, à lege naturali, oſtenditur, n. 4.
Quædam præcepta conſtituuntur à lege humana, quæ cõſtituta ſunt à lege naturæ. n. 5.
Licèt præcepta naturalia, & humana deriuentur à lege naturæ, differunt tamen inter ſe, n. 6.
Satisfit argumentis propoſitis, n. 7.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm omnis lex humana à naturali lege deriuetur.

1 PRo parte negatiua primò argumentor ſic. Ius humanum diuiditur contra ius naturale, vt ait Ariſt. 5. Ethicorum, ſed ea, quæ deriuantur à principijs legis naturæ, ſicut concluſiones, pertinent ad legẽ naturalem, vt in diſputatione præcedenti dictum fuit: ergo ea, quæ ſunt de lege humana, non deriuantur a lege naturali.

Secundò. Lex naturalis eadem eſt apud omnes, vt ait Iſidorus in c. ius naturale, 1. diſtinct. ergo ſi lex humana à naturali lege deriuatur, ſequeretur, quòd ipſa etiã eſſet

eadem apud omnes, quod falſum eſt, ergo etiam falſum erit, quòd lex humana à naturali deriuetur lege.

3 His non obſtantibus, concluſio eſt. ***Lex humana, ſi recta eſt, à lege naturæ deriuatur.***

Probatur concluſio, quia in rebus humanis dicitur eſſe aliquid iuſtum ex eo, quòd eſt rectum, & deducitur ſecúdùm rectam regulam rationis, ſed recta regula rationis eſt lex naturalis. ergo omnis lex humana in tantum habet de ratione legis, & rectitudinis, in quantum à lege naturali deriuatur, & ob id, ſi in aliquo lege à naturali diſcordat, & diſſonat, non lex, ſed legis corruptio dicenda eſt: ita Sanctus Thomas. 1. 2. q. 95. artic. 2. Sotus de iuſt. & iur. lib. 1. q. 5. art. 2. Vazquez de legibus q. 95. art. 4. Suarez lib. 2. c. 19. Valentia de lege humana, diſp. 7. p. 1. cum alijs.

4 Sed vt iſte articulus intelligatur, duo notanda ſunt. Primum erit, vt lex humana ſit vera lex, ſeu recta regula practicæ rationis, neceſſe eſt, eam à naturali lege deriuari: quod duobus modis poteſt fieri, vt ait S. Thom. loco ſuprà citato art. 2. & 4. Vno modo deriuatur lex humana à iure naturali, ſicut deriuantur, & deducuntur concluſiones ex principijs primis. V. g. ex illo principio naturali: *Vita hominum in pace, & tranquillitate ſuſtinenda eſt*, ſed ſuſtineri non poteſt, ſuppoſito, quòd natura humana corrupta eſt, pronaque ad malum, ad diſſenſiones, plena cupiditatibus & pigritia, quæ magis diligit proprium, quàm commune bonum, & propter hoc deducũtur ex ſupradicto principio naturali, quòd vita hominum in pace & tranquillitate ſeruanda eſt, ſubſequentes concluſiones: ergo agri, & poſſeſsiones, vt diligenter colantur, diuidendi ſunt: vt homines in pace viuant, conſtituenda ſunt bella, paces, fœdera, ſeruitutes, & ſimilia. Similiter ex illo alio principio naturali, quòd homo eſt animal ſociabile, & quòd

debeant

Digitized by Google

debeant homines inter ſe conuenire, quod fieri non poteſt ſine mutuis exactionibus & véditionibus, & propter hoc deducuntur ex tali principio omnes contractus emptionis, & venditionis, loctaionis, tranſactionis, & reliqua alia, quæ veluti concluſiones deducuntur, & inferuntur ex principijs legis naturæ.

Alio modo deriuantur leges humanæ, à lege naturali per determinationem; quia determinat lex humana in particulari id, quod à lege naturæ determinatum nõ eſt. V.g. præcipit lex naturalis, quòd malefactores puniantur, ſed quo genere ſupplicij, vel qua pœna puniri debeant, ius naturale non determinat, determinatur hoc in particulari à lege humana, vt latrones ſuſpendantur, hæretici comburantur. Similiter præcipit lex naturalis Sabbatha ſanctificare, Deum colere, ſed nõ determinat hoc, vel illo ritu, ſacro tempore, in particulari; determinat hoc ius humanum Eccleſiaſticum. Rurſus, matrimonium de iure naturali eſt, & diuino, quo autem ordine, forma, contractu debeat fieri, à iure humano Eccleſiaſtico determinatur. Et ſimiliter præcipit lex diuina confeſsionem, & communionem, ſed in quibus caſibus ad id teneamur, non determinat; determinatur à iure humano Canonico, vt in omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. & tenent Doctores vt ſuprà.

5 Sed contra hoc eſt difficultas in primo argumento propoſita, nam concluſiones, quæ deriuantur ex principijs legis naturæ, ſunt & dicuntur ipſius legis naturalis: ergo falſum eſt, quòd pertineant & dicantur aliquæ earum cõcluſiones legis humanæ. Ad hanc difficultatem dico primò, quòd lex humana, quædam deducit, & præcipit, quæ etiam lege naturali præcepta, & prohibita ſunt. V.g Deũ colere, parentes honorare, patriam diligere, nõ occidere,

non furari, hæc omnia & alia à iure naturali, & diuino præcepta prohibita, & deducta ſunt. Hoc idem facit in eis ius humanum, eſtque valde vtile, & fit duabus de cauſis, vel ad conſtituendas maiores, & particulares pœnas in eis à Principibus, vt timore earum, homines magis moueantur ad illarum obſeruantiam, vel, ne concluſiones, quæ ex principijs naturæ varijs conſequentijs & diſcurſu inferuntur, poſsit in eis aliquis ad eas obſeruandas ignorātia excuſari: propter hoc præcipiuntur expreſſè à iure naturali ad hoc euitandum, etiam quòd præcepta ſint à iure naturæ.

6 Dico ſecundò, quòd magna differentia verſatur inter concluſiones naturales, & concluſiones humanas, quæ deriuantur ex principijs legis naturæ. Aliter enim deriuātur illæ concluſiones, quæ ſunt de iure naturali: nam deriuantur lumine naturali per dictamina rectæ rationis per conſequentiam euidentem, & omnino neceſſariam ad finem humanum, & adeò iuſtam, vt oppoſitum illius habeat intrinſecam iniuſtitiam, vt in eis diſpenſatio fieri nō poſsit. V. g. ex illo principio naturali: *Species, & natura humana conſeruanda eſt;* deducitur ex hoc euidenter & neceſſariò: ergo maris, & fœminæ coniunctio, filiorum educatio, & procreatio neceſſaria eſt. Et ſimiliter ex illo alio principio naturali. *Bonum eſt amplectendum, & malum fugiendum*, illicò inferuntur ſubſequentes concluſiones euidenter, & neceſſariò: ergo Deus colendꝰ eſt, parentes honorandi ſunt, patria diligenda eſt, non eſt furandum, non eſt occidendum, non eſt adulterandum, non fornicandū, & ſimiles concluſiones. Quæ autem ſunt de iure humano, deducuntur etiam ex prædictis principijs legis naturæ, ſed diſcurſu, & aliqua ſuppoſitione facta, & non ſunt concluſiones, ſeu determinationes ſimpliciter neceſſariæ,

ſed

Digitized by Google

ſed tantùm congruentes, conuenientes, vtiles, & oppoſitum earum non habet intrinſecam iniuſtitiam. Nec ſunt omnino indiſpenſabiles, vt in diſputatione præcedentis articuli 4.n.9. viſum fuit, & in ſequenti diſputatione videndum erit, & patet hoc exemplo. V.g. ex illo principio naturali: *Vita hominũ in pace, & tranquillitate ſuſtinenda eſt*, optimè fuerunt, & rationabiliter à lege humana, non tamen neceſſariò, neceſsitate ſimpliciter deductę ſubſequentes concluſiones: ergo agri, & dominia diuidenda ſunt, nam non poſſunt homines abſque illa diuiſione rerum commodè viuere: ergo paces, bella, fœdera, & reliqua alia inſtituenda erant, vt copioſè hoc à nobis explicatum fuit in diſputatione præcedenti art.4.n.6. & ibi videndum eſt.

7 Non obſtant in contrarium adducta argumenta. Non primum ex auctoritate Ariſtot. deſumptum, nam reſpondetur, quòd non omnia, quæ deriuantur ex principijs legis naturæ, ſunt de iure naturali, nam plura ſunt, & dicuntur de iure humano, vt dictum eſt: quomodo autem agnoſcantur, quæ de iure naturali ſunt, & quæ de iure humano, etiã oſtenſum eſt ſuprà in præcedenti, n. 6 & ſoluitur primum.

Non obſtat ſecundũ deſumptum ex c. ius naturale, 1. diſtinctione, nam reſpondetur, quòd licèt conueniant ius naturale, & gentium aliquo modo: non tamen ſequitur, quòd ius humanum ſit idem apud omnes, ſicut ius naturale, nam valde differunt, vt in præcedenti diſputatione artic.4. oſtenſum fuit. Et ſoluitur argumentum, & articulus.

SVM-

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, n. 1.
Proponuntur duo argumenta, n. 2.
Conſtituitur concluſio, quod conditiones legis humanę optimè ab Iſidoro aſsignantur, n. 3.
Enumerantur prædictæ conditiones legis humanæ, quæ non requiruntur in diuinis legibus n. 4.
Declarantur prædictæ cõditiones, quæ in c. erit autẽ lex, apponuntur, n. 5.
Declarantur illæ conditiones, quæ in conſuetudo, 1. diſtinct. conſtituuntur, n. 6.
Satisfit argumentis propoſitis, n. 7.

ARTICVLVS III.

1 *Vtrùm legis humanæ qualitates rectè ab Iſidoro deſcribantur.*

2 PRo parte negatiua argumentor ſic. In conſuetudo, 1 diſtinct. qualitates legis explicantur, quòd lex eſt omne, quod ratione conſtituitur, quod religioni congruat, quod diſciplinæ conueniat, quod ſaluti proficiat: ergo ſuperfluè in c. erit autem lex, diſtin. 4. aliæ conditiones multiplicantur.

Secundò. Lex ſcripta contra conſuetudinem diuiditur, vt in lex eſt diſtinct. 1. ergo lex non fertur ſecundum patriæ conſuetudinem.

3 His non obſtantibus, concluſio eſt. *Qualitates legis humanæ optimè ab* Iſidoro *deſcribuntur.*

Probatur concluſio auctoritate text. in c. conſuetudo, 1. diſtin.

Digitized by Google

1. diſtin. in c. erit autem lex, 4. diſtinct. & declaratur, lex autem humana eſt regula, & menſura, qua actiones humanæ diriguntur ad ſuos debitos fines, ſed non eſt ipſa regula prima, & independens, ſed eſt regula & menſura, à ſuperiori illa regula menſurata, & regulata, quæ eſt lex æterna, & naturalis: ergo lex humana, vt ſit licita, & bona, oportet, quòd ſit conformis, & proportionata prædictis ſuperioribus legibus. Et propter hoc Iſidorus dixit in dicto c. conſuetudo, lex humana eſt, quod religioni congruat, in quantùm eſt proportionata legi æternæ, quæ fons eſt totius rectitudinis: quòd diſciplinæ conueniat, in quãtùm ſubordinatur legi naturali, & quòd ſaluti proficiat ex eo, quòd ad humanam vtilitatem ordinem habeat, & omnes reliquæ qualitates, & conditiones ab Iſidotoro relatæ ad hæc tria reducuntur, vt infrà patebit, ita S. Thom. 1. 2. q. 95. art. 3. Sotus de iuſt. & iur. lib. 1. q. 5. art. 3. Suarez de legibus, lib. 1. c. 19. Vazquez diſputation. 151. c. 1. Turrecrem. in c. præterita, diſt. 4. cum alijs.

4 Sed vt meliùs iſte articulus intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò, ſupponimus, quòd in iſto articulo agitur de conditionibus humanæ legis, nam circa alias legũ ſpecies, ſcilicet æternæ, naturalis, & diuinæ, non opus eſt, conditiones, & qualitates perſcrutari, in quibus earum rectitudo poſita ſit: nam illæ ex ſe & innata natura bonæ & rectæ ſunt, nam habent Deum auctorem; ſed lex humana, quia ratio noſtra allucinari ſolet, inquirere neceſſe eſt, quibus conditionibus, & proprietatibus exornari debeat, vt bona dicatur. Iſidorus autem lib. 5. c. 21. & refertur in c. erit autem lex, 4. diſt: *Erit autem*, inquit, *Lex honeſta, iuſta, poſſibilis, ſecundùm naturam, & ſecundùm patriæ conſuetudinem, loco, temporique conueniens, neceſſaria, & vtilis,*

manifeſta quoque, ne aliquid propter obſcuritatem, incautū captione contineat, nullo priuato commodo, ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta. Et idem Iſidorus lib. 5. Ethimol. c. 3. & refertur in c. conſuetudo, 1. diſt cōpēdioſe dixit: *Lex erit omne, quod ratione conſtiterit, quod religioni congruat, quod diſciplinæ conueniat, quod ſaluti proficiat.*

5 Sed ad maiorem intelligentiam prædictarū nouem conditionum, ſingulæ explicandæ ſunt. Primò dicit, *Honeſta*, idem eſt, vt ſit conueniens religioni, quæ eſt lex diuina Secundò requirit, quòd non diſcordet à lege naturali, & propter hoc poſuit, *Iuſta*, nam ſi diſcordat ab ea, non dicitur lex, ſed corruptio legis. Tertiò requirit, quòd lex ſit: *Poſsibilis ſecundùm naturam*, id eſt, quòd ſit ſuauis, non grauis & oneroſa, excedens fragilitatem hominum, ſed commenſuretur, & proportionetur his, quibus imponitur. Et ſicut alia lex eſt, quæ imponenda eſt viris, & alia pueris, quibus multa tolerantur, quæ in adultis puniuntur, lege vituperantur. Quartò requiritur, quòd ſit *ſecundùm conſuetudinem patriæ*, & hoc cùm lex humana fundetur ſuper experientia publica, & ordinetur ad bonum commune, ſi ita non fuerit per contrariam conſuetudinem abrogatum. Quintò addit, quòd ſit, *Loco temporique conueniens*, quia prædictis circunſtantijs veſtiri, & ornari debet. Sextò requiritur, quòd ſit *Neceſſaria*, quia non niſi inſtante neceſsitate, leges inſtitui debent. Septimò requiritur, quòd ſit *vtilis*, quia ſi inutilis eſſet, erit abijcienda, & non erit approbata, & optima. Octauò requiritur, quòd ſit *manifeſta*, ne propter eius obſcuritatem incidat quis in errorem, & ne daretur varijs interpretationibus locus, inde enim innumeræ lites oriri ſolent,

Digitized by Google

lent, non ſine graui reipublicæ iactura. Nonò requiritur, quòd *Nullo priuato commodo, ſed pro communi vtilitate inſtituta ſit*, quia cùm lex ordinetur ad bonum commune, non debet accõmodari alicui priuato, aliter non eſſet lex, ſed priuilegium, vel tyrannides.

6 Explicatis ſupradictis conditionibus, explicandæ ſunt modò reliquę quatuor, in quibus cõpẽdioſe omnes ſupra dictę nouẽ cõtinẽtur, *Lex*, inquit Iſidorus, *erit omne, quod ratione conſtiterit, quod religioni cõgruat, quod diſciplinæ cõueniat, quod ſaluti proficiat.* Dicit primò *Lex erit omne, quod ratione conſtiterit*, id eſt, lex debet eſſe conſentanea rationi. Secundò dicit, quòd *religioni congruat*, id eſt, debet eſſe congruens religioni, ſcilicet debet proportionari legi diuinæ, & hæc proportio in eo conſiſtit, quòd non præcipiat lex humana, quæ lex diuina prohibet, nec prohibeat, quæ illa præcipit. Dicit tertiò, quod *diſciplinæ conueniat*, id eſt, debet eſſe lex humana proportionata legi naturali, id eſt, quòd non deuiet à præceptis legis naturæ. Dicit quartò, quod *ſaluti proficiat*, id eſt, quòd ſit proportionata vtilitati humanæ. Et ad hæc omnes illæ nouem conditiones reducuntur, nam *Honeſta*, refertur ad illam, quod religioni congruat. I*uſta, poſſibilis ſecundùm naturam, ſecundùm conſuetudinem patrię, loco, temporique conueniens*, reducuntur ad hæc, quod diſciplinæ conueniat, & demùm *neceſſaria, vtilis manifeſta*, reducuntur ad illa vltima, quod ſaluti proficiat, ita Turrecremata, & Doctores ſupracitati.

7 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd licèt Iſidorus conditiones legis humanæ, in c. conſuetudo, 1. diſtinct. explicuerit, non fuit in conueniens, quòd idem fecerit in c. erit autem lex, nam in primo loco explicuit compendioſe

prædictas conditiones, & in c. erit autem lex, explicatiùs eas declarauit, quod licitum eſt: & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd conſuetudo, antequàm ſcripta ſit, vim habet legis, vt in l. diuturna, ff. de legibus, differt autem à lege, quia vna in exercitio ponitur, alia verò non: & ſoluitur argumentum, & articulus.

(.?.)

DE

DE LEGE HVMANA ſecundùm ſuam poteſtatem.

DISPVTATIO Sexta.

IN QVINQVE ARTICVLOS diuiſa.

Viſum eſt de lege humana, quantùm ad ſuam extenſionem, & vim: conſequenter videndum erit de modo, de poteſtate, & mutatione ipſius.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, n. 1.
Proponuntur duo argumenta, n. 2.
Conſtituitur prima concluſio, ſcilicet, lex humana nõ poteſt omnia vitia prohibere, n. 3.
Quę ſcelera probibentur, quę permittuntur in lege bumana, oſtenditur, n. 4.
Conſtituitur ſecunda concluſio, ſcilicet, lex humana non pręcipit omnium virtutum actus, n. 5.
Qui actus virtutum pręcipiantur, oſtenditur, n 6.
De virtutibus Theologalibus non loquimur in pręſenti, ſed tantùm de moralibus, n. 7.
Satisfit argumentis propoſitis, n, 8.

ARTICVLVS I.

1 *Vtrùm lex humana poſsit omnia vitia prohibere, & omnium virtutum actus præcipere.*

2 PRimò contra quæſitum argumentor ſic. Intentio Legiſlatoris eſt, ciues facere bonos, & virtuoſos, ſed non poteſt quis eſſe virtuoſus, niſi ab omnibus vitijs compeſcatur: ergo lex humana omnia vitia compeſcit.

Secundò. Lex humana à lege naturali deriuatur, vt ſuprà dictum eſt, ſed omnia vitia repugnant legi naturali: ergo lex humana debet omnia vitia prohibere.

3 His non obſtantibus, prima concluſio eſt. *Lex humana non poteſt omnia vitia prohibere.*

Probatur concluſio. Primò, auctoritate D. Auguſtini lib. 1. de libero arbitrio, vbi ait, humanam legem multa permittere, quæ à diuina prouidentia vindicantur. Fulcitur hoc etiam ratione, nam lex debet eſſe poſsibilis, & ſecundùm naturam, & ſecundùm patriæ conſuetudinem, vt in præcedenti viſum eſt, ſed eſſet impoſsibilis lex ſecũdùm conſuetudinem humanæ naturæ, ſi omnia vitia prohiberet: ergo neceſſarium fuit, vt per legem humanam, aliqua vitia permitterentur, & diſsimularentur. Tum ſecundò, quia ſi omnia vitia prohiberet, non ſolùm hoc eſſet graue, & difficile, imò natura humana, ſi nimis premitur, ſolet in maiora prorrumpere, & ob id aliqua vitia

tia permittenda ſunt, ita S. Thom. 1. 2. quæſt. 96. artic. 2. Vazquez, Medina, dict. quæſt. 96. artic. 2. Suarez lib. 3. de legibus, c. 17. Lorca diſputatione 15. Sotus de iuſtit. & iur. lib. 1. q. 6. art. 2. & 3. cum alijs.

4 Sed vt ſupradicta concluſio clariùs intelligatur, ſciendum eſt, quòd leges humanæ prohibent præcipuè, & poſitiuè ſcelera illa, quę communitati humanæ noxia ſunt, & in nocumentum aliorum exercentur, nam ſine eorum prohibitione, nec ſocietas humana conſeruari poteſt, nec finis legis, qui eſt conſeruatio reipublicæ in exteriori pace, adipiſci valet. Vitia verò, quæ rempublicam de ſua pace maximè perturbant, ſunt crimina illa, præſertim, quæ iniuriam habent annexam, vt homicidia, furtum, adulteria, fraudes, inſidię, & ſimilia; quæ verò non prohibentur, nec puniuntur à lege humana, ſed impunita relaxantur, ſunt præcipuè meretricia, deceptiones in emptionibus circa dimidiam, vel ſine enormi læſione, & alia minora vitia: periuria enim, & blaſphemiæ, quæ grauiora crimina ſunt coram Deo, non ita duriùs, ſicut furtum, & homicidium, & alia, quæ paci ſunt magis nociua, puniuntur, ſed prædicta prohibitione naturali æternæ legis, vt grauiùs à Deo punienda, relinquuntur.

5 Sit ergo ſecunda concluſio. *Lex humana non præcipit omnium virtutum actus, ſed tantùm illos, per quos homines ad bonum commune ordinantur.*

Probatur concluſio ferè ſupradictis rationibus. Primò, quia finis legis humanæ, eſt bonum commune, vt in præcedentibus viſum eſt, ſed ad finem legis humanæ non ſunt neceſſarij omnes actus virtutum. Tum ſecundò, quia leges debent eſſe ſuaues,

non

non graues, & oneroſæ, nec excedentes facultates humanas, & ob id Iſidorus ait, vt diximus, lex debet eſſe poſſibilis, & ſecundùm naturam: non eſſet poſſibilis, nec moderata, nec ſecundùm naturam, ſi præciperet omnium virtutum actus, ita S. Thom. vt ſuprà artic. 3. & Doctores citati.

6 Sed ad maiorem declarationem iſtius concluſionis, ſciendum eſt, quòd licèt lex humana non præcipit omnium virtutum actus in particulari, ſed tantùm illos, per quos homines ad bonum commune ordinantur; præcipit tamen in omni genere virtutum moralium, ita vt nulla ſit ſpecies earum, in qua aliquem non præcipiat actum illius. V.g. in materia fortitudinis, præcipit rempublicam defendere, etiam cum periculo vitæ, non autem id præcipit in defenſionem amicorum, ſed hoc relinquitur legi naturæ: in materia temperantiæ, præcipit lex humana Eccleſiaſtica certis diebus ieiunare, non autem hoc facit in reliquo anni tempore, ſed præcipit moderatè comedere, prout facit lex naturæ. In materia religionis, iubet certis diebus ſacrificio intereſſe, non autem in reliquis diebus cogit. In materia iuſtitiæ, & liberalitatis, præcipit lex humana in graui neceſsitate parentes alere, ſecundùm ſuum ſtatum, & extra talem caſum ad legem naturalem, & diuinam remittit ſe, & eodem modo erit dicendum in alijs ſpeciebus virtutum moralium.

7 De Theologalibus virtutibus, vt ſunt Fides, Spes, & Charitas, nō loquimur in præſenti difficultate, nam nihil agnouit de eis naturalis ratio, in qua leges ciuiles fundantur.

8 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd lex humana, quia non poteſt vndique facere ciues bonos, & totaliter

virtuo-

virtuoſos, ſatis eſt, quòd faciat illos bonos, bonitate illa neceſſaria ad finem humanum conſequendum, prout declaratum eſt, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundũ: nam reſpondetur, quòd licèt lex humana deriuetur à lege naturæ; non tamẽ propter hoc, omnia poteſt prohibere, quæ à lege naturæ prohibẽtur, nec illi ad vnguem adęquari debet, nec propter hoc, quia permittit aliqua mala ad ſuum finem conſequendum, reprobanda eſt, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quęſitum articuli. n. 1.

Proponuntur duo argumenta, n. 2.

Reijcitur opinio hæreticorum, & aliorum, quæ eſt contra noſtram concluſionem, n. 3.

Conſtituitur concluſio, quòd lex humana, ſi iuſta fuerit, obligat in foro conſcientiæ, n. 4.

Poterit eſſe lex humana iniuſta multipliciter, & tunc nõ obligat in prædicto foro, n. 5.

Lex humana obligat aliquando ſub veniali peccato, aliquãdo ſub mortali, n. 6.

Lex humana, non ſolùm obligat ſub peccato, ſed etiam aliquãdo cum periculo vitæ. n. 7.

Satiſfit argumentis propoſitis, n. 8.

ARTICVLVS II.

1 *Vtrùm lex humana poſsit obligare ſubditos in foro conſcientiæ.*

2 PRimò pro parte negatiua argumentor ſic. Poteſtas inferioris non attingit vſque ad ſuperioris formam, vt

in eo obligare poſsit, ſed poteſtas humana legis ferendi, eſt inferior diuina poteſtate: ergo lex humana non poteſt obligare in foro conſcientiæ.

Secundò. Nemo poteſt obligare, vbi non poteſt iudicare, vt in l. fin. ff. de iuriſdictione omnium iud. Sed homo non poteſt judicare de conſcientia alterius, quia non poteſt illam agnoſcere: ergo nec poterit illam obligare.

3 Sed anteaquàm concluſionem conſtituamus, aduertendum eſt, quòd hac in re fuit opinio plurimorum hæreticorum negantium, in Principibus fuiſſe poteſtatẽ veram ad leges ferendas, & multò minùs ad obligandũ per eas ſubditos in foro conſcientiæ, quæ ſolius Dei iudicio ſubiecta eſt, ac perinde à ſolo Deo ligari poteſt. Sed contra hos hæreticos ſatis diſputant in præſenti Catholici Doctores infrà citandi, & inter Catholicos paſsim etiam refertur ſententia quædam Gerſonis, quę parum, aut nihil ab hæreticorum errore differre videtur. Dicit enim iſte Doctor, quòd lex humana, quatenus humana eſt, & à ſola humana poteſtate profecta, non poteſt in foro conſcientiæ ad culpam mortalem obligare, ſed ea duntaxat lex, quæ cum lege diuina concordat, & ab ea deriuatur. Itaq; ſecundùm hanc opinionem, Princeps præcipiens, quod lege diuina præceptum non eſt, non valet tunc ſubditos in foro conſcientiæ obligare, quod ſæuiſsimum eſt, vt patet exemplis ſubſequentibus. Nam lex humana eſt, quæ præcipit, quòd abſtineamus à carnibus die Veneris, quod non eſt de iure diuino, tamen tranſgreſsio peccatum erit. Et eodem modo Apoſtoli multa præceperunt ſubditis, quæ non erant de iure diuino, imò, & Diuus Paulus ad Corinth. 1. cap. 7. apertè dicit, *Præcipio ego, & non Dominus*: ergo lex etiam humana, quę

tantum

tantùm iure humano conſtituitur, obligat ad ſui obſeruantiam, ſicut ſupradictæ in foro conſcientiæ: ita communiter ſentiunt Doctores, & S. Thom. 1. 2. quęſt. 96. artic. 4.

4 His conſtitutis, concluſio eſt. *Lex humana, tam ciuilis, quàm Canonica, ſi iuſta fuerit, habet vim obligandi in foro conſcientiæ.*

Probatur primò de lege ciuili auctoritate ſacræ Scripturæ. Paulus ad Romanos cap. 13. ait. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Et infrà. *Qui poteſtati reſiſtunt, condemnationem ſibi requirunt.* Et iterum ait, *ſubditi eſtote omni creaturę propter Deum, ſiue Regi, quaſi prȩexcellenti, ſiue ducibus, ab eo miſſis.* Et de poteſtate Eccleſiaſtica, in primis conuenit illud: *Non eſt poteſtas niſi à Deo*, quare ſi tranſgreſſores legum ciuilium rei ſunt apud Deum, ita & tranſgreſſores legum Eccleſiaſticarum. In quo ſunt apertà teſtimonia, Matth. cap. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.* Et Luc. c. 10. *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Hæc veritas diffinita eſt in Concilio Conſtantienſi, & ratio clara eſt, nã lex humana ab æterna, per legem naturalẽ deriuatur. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*: ergo obligatio in foro conſcientiæ, in legibus humanis à lege æterna deriuatur, & non ſolùm illa dicitur lex Romani Pontificis, quam ipſe ſtatuit, & ab eo vim habet, ſed etiam & illæ aliæ leges, quas inferiores auctoritate, & poteſtate ipſius inſtituunt. Ita dicendum erit de legibus humanis, quæ licèt ab hominibus inſtitutæ ſint; vim tamen obligandi in foro conſcientiæ habent ab ipſo Deo: ita tenet Sanctus Thomas 1. 2. q 96. art. 4. Caietanus, & Medina in dicto articulo, Sotus de iuſtit. & iur.

lib 1. q. 6. art. 4. Suarez lib. 3. de lege humana, c. 21. Vazquez diſput. 158. cum alijs.

5 Sed aduertendum, quòd dixi in concluſione, ſi lex fuerit iuſta, habet vim obligandi in foro conſcientiæ, ad oſtendendum, quòd ſi fuerit iniuſta, nullo pacto obligat in prædicto foro conſcientiæ, quia lex iniuſta, cùm recta regula non ſit, obligare non poteſt. Lex autem humana iniuſta multipliciter eſſe poteſt. Primò per cõtrarietatem ad bonum humanum. V. g. Lex erit iniuſta, ſi contra aliquam conditionem eſſentialem ab Iſidoro in diſputatione præcedenti relatam, conſtituta fuerit; vel ſi aduerſatur alicui ex quatuor cauſarum generibus, efficienti, finali, formali, & materiali: efficienti, vt ſi aliquis legem ferat, vltra ſibi commiſſam poteſtatem. Cauſæ finali, ſi non pro publica vtilitate, ſed pro priuato commodo inſtituta ſit. Aduerſatur cauſæ formali, ſi lex, quæ eſt regula, quæ rectitudinem, & æqualitatẽ ſeruare debet, inæqualiter onera, & non proportionabiliter diſtribuerit. Et denique cauſæ materiali, ſi non prohibentur, quæ prohibenda ſunt, & non præcipiuntur, quæ præcipienda erunt; in ſupradictis caſibus regulariter non obligat lex humana in foro conſcientiæ, niſi aliquando propter euitandum ſcandalum, vel perturbationem. Si autem fuerit lex humana iniuſta per contrarietatem ad legem diuinam, vt leges tyrannorum, quæ inducunt ad idololatriam, vel contra ſacramenta, vel contra aliquod aliud, quod ſit in legem Dei, non ſolùm in tali caſu lex non obligat, imò nullatenus eſt ei obtemperandum, ſed magis Deo, quàm hominibus in tali caſu obediendum erit: ita S. Thom vt ſuprà.

6 Ex dictis duo inferuntur. Infertur primò, quòd leges humanæ iuſtæ obligant, vt dictum eſt, in foro cõſcientię, & ali-

Digitized by Google

& aliquando ſub mortali peccato, & aliquãdo ſub veniali. Quando verò obligent ſub mortali, & quãdo ſub veniali, variæ ſunt ſententiæ Doctorũ: nam alij dicunt id colligi ex intentione Legiſlatoris, ſi de ea conſtiterit. Alij ex verbis ipſius legis. Alij ex pœna appoſita in tranſgreſsione legis. Et alij ex grauitate, vel leuitate materiæ, quam lex præcipit, vel prohibet, & copioſè de hoc tractant Suarez, vt ſuprà cap. 24. cum ſequentibus, & Vazquez c. 4.

7 Secundò infertur, quòd lex non ſolùm obligat ſubditos ſub peccato, ſed etiam verior ſententia eſt, quòd aliquando obligat, etiam cum periculo vitæ ad ſui obſeruationem; & ratio eſt, quia in republica debet eſſe ſufficiens poteſtas ad conſeruãdum bonum commune, quod aliquando poſtulat, vt aliquis exponat ſe periculo vitæ. V. g. Si Princeps obliget milites, ne deſerant ſuam ſtationem, etiam ſi ibi moriantur, vel ſi Epiſcopus pręcipiat parocho, ne deſerat ciuitatem tempore peſtis, ſed adminiſtret in ea ſacramenta ſuis ſubditis, imò quoties obſeruatio legis humanæ plus conferat communi bono reipublicæ, aut religionis, quàm amiſsio propriæ vitæ, tũc lex obligat cum periculo vitæ, ita Sotus vt ſuprà, & Suarez c. 30. Vazquez diſp. 161. cum alijs.

8 Non obſtant in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd licèt homo per ſe poteſtatem non habeat in foro Dei, quod eſt forũ cõſcientię; habet tamẽ eã, vt eius miniſter, & ſic incõueniens nõ eſt, quòd inferior poteſtate ſuperioris id faciat, vt dictũ eſt, & ſoluitur primum.

Non obſtat ſecundũ argumẽtũ, nã reſpondetur, quòd non eſt per ſe neceſſarium, quòd lex humana, quæ imponit obligationẽ in foro conſcientiæ, per ſe, & directè de interiori cõſciẽtiæ cognoſcat, ſed ſatis eſt, quòd extranea

actione, vel omiſsione, interiora pateant, & ſic benè poteſt de ea etiam iudicare, vt declaratum eſt; & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, n. 1.
Proponuntur duo argumenta, n. 2.
Conſtituitur concluſio, quòd omnes ſubijciuntur legibus ſui ſuperioris, n. 3.
Declaratur concluſio, n. 4.
Duplex vis in legibus, ſeu ſubiectio, directiua, & coactiua reperitur, n. 5.
Tria genera perſonarum, de quibus dubitari poteſt, ſi legib⁹ ſubijciantur, ponuntur, n. 6.
Princeps non ſubijcitur legi coactiuę, ſeu coercitiuę, n. 7.
Princeps ſubijcitur legi directiuę, oſtenditur, n. 8.
Satisfit argumentis propoſitis, n. 9.

ARTICVLVS. III.

1 *Vtrùm omnes ſubijciantur legi.*

2 PRo parte negatiua argumentor ſic. Iuſtus nō ſubijcitur legi, vt ait Paulus ad Titum 1. c. 1. & Pontifex in c. duæ ſunt, 19. q. 2. ergo non omnes ſubijciuntur legi.

Secundò. Princeps legibus ſolutus eſt, vt in l. Princeps, ff. de legib⁹: ergo falſum eſt, quòd omnes ſubijciātur legi.

3 His non obſtantibus, concluſio eſt. *Omnes, qui poteſtati alicuius ſubiecti ſunt, ſubduntur etiam legibus illius.*

Probatur concluſio. Primò auctoritate ſacrę Scripturę, Paul. ad Rom. c. 13. *Omnis anima, poteſtatibus ſublimiorib⁹*

ſubdita

Digitized by Google

ſubdita ſit, & c. 3. *Scimus, quoniam quæcunque lex loquitur, ijs, qui in lege ſunt loquitur*. Ratio verò eſt, nam ipſa natura docet, ſeruandas eſſe leges ab omnibus, & hoc Deus etiam ſæpè præcipit: ergo maximè à ſubditis, qui ſuis ſuperioribus obedire tenentur. Tum, quia lex per ſe primò fertur in communitatem, & inde deſcendit eius obligatio ad ſingulos ciues: ergo deſcēdit ad omnes, qui ſunt partes communitatis; ita S. Tho. Caietanus, & Medina 1.2. q. 96. art. 5. Sotus de iuſt. & iur. lib. 1. q. 6. art. 7. Suarez de lege humana c. 31. cum ſequentibus, Vazquez de legibus diſp. 166. Lorca diſp. 25. cum alijs.

4 Sed vt iſta concluſio clariùs intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quod dixi in concluſione, omnes, qui poteſtati alicuius ſubditi ſunt, ad oſtendēdū, quòd obligatio legis non extenditur ad eos, qui extra cōmunitatē, & iuriſdictionē ſunt: lex enim Gallorū nihil ad Hiſpanos, & è conuerſo; & ratio eſt, quia nulla potentia extra ſuam ſphæram operatur, vt ait Paul. ad Corinth. c. 5. *De his, qui foris ſunt, nihil ad nos*. Et eodem modo, neque lex extenditur ad eos, qui ſuperiori priuilegio exempti ſunt, & non ſubijciuntur inferioribus legibus: & hac ratione clerici à ſæcularibus legibus exempti ſunt, & præcipuè, dum lex de reb⁹ Eccleſiaſticis decernit, quæ Principibus non ſubduntur, vt in c. Eccleſia Sanctæ Mariæ, de conſtitut.

5 Supponimus ſecundò, vulgarē illam diſtinctionem de duplici poteſtate, quæ comitatur legē, veluti duo effect⁹, & poteſtates, directiua, & coactiua: & propriè loquendo, iſtæ duæ poteſtates, ſcilicet, poteſtas, ſeu virtutes, vtraque habet vim obligādi, vna in cōſciētia, quæ directiua dicitur. Alia verò obligandi ad pœnam, quæ coactiua, ſeu coarctiua nuncupatur. Coactio propriè dicitur de re

inuo-

Digitized by Google

inuoluntaria, vt eſt pœna. Aduertendum, quòd directio legis plus includit, quàm conſilium: monitio, vel illuminatio includit quoque obligationem: ita tenent Suarez de lege humana lib. 1. c. 17. Sotus vt ſuprà, Gregorius de Valentia, tom. 2. de lege humana, diſputatione 6. q. 5. p. 4. cum alijs.

6 Supponimus tertiò, quòd varia ſunt genera perſonarum, de quibus dubitari poteſt, ſi legibus humanis ſubijciantur: & de perſonis Eccleſiaſticis, & de illis, qui extra limitem iuriſdictionis ſunt, iam tetigimus. Reſtat de viro iuſto, & de Principe Legiſlatore diſcutiendum, ſi iſti legibus, etiam ſubdantur Et omiſsis erroribus hæreticorum noſtri temporis, aſſerentium, viros iuſtos in hac vita ſub legibus non eſſe, quod aliquibus rationibus, & auctoritatibus malè expoſitis oſtendunt probare: ſed prædictus error iam reprobatus eſt in Concilio Tridétino ſeſſ. 6. c 11. & can. 19. & 20. vbi definitur, iuſtum, & perfectum non minùs, quàm alios ſubditos, legibus teneri, & eis ſubijci, nam nullo priuilegio videntur exempti. Nec obſtat ſi dicatur, quòd Sanctus Thomas in explicatione huius veritatis dixerit: iuſtos ſubditos eſſe legibus, quoad vim directiuam, non autem quoad vim coactiuam: ergò aliquomodo exempti ſunt. Nam reſpondetur, quòd licèt ſanctus Doctor obſcurè loquutus fuerit in hoc: tamē iuxta doctrinam orthodoxam ſanctorum Patrum, ſuam ſententiam protulit. Et dici poteſt, quòd non negat S. Tho. iuſtos ſubditos eſſe legibus, non ſolùm quoad vim directiuam, ſed etiam quoad vim coactiuam, ſed vult dicere, quòd iuſti ita operantur obſeruatione legum, ac ſi vis illa coactiua non interueniret, quia non ex timore pœnę coacti obediunt, ſed ſponte, & ſpiritu moti virtutis amore leges ſeruant, vt explicat Caietanus in illis verbis:

iuſtus

Digitized by Google

iuſtus ſubijcitur virtuti coactiuæ legis ex parte legis, non ex parte ſui, ad oſtendendum, quòd ex vi legis directiuæ, & coactiuæ ſubduntur: ita S. Thom. Medina, & Caietanus, vt ſuprà, & Lorca memb. 2. cum alijs citatis.

7 Supponimus quartò, certiſsimum eſſe, Principes Legiſlatores, qui ſuperiorẽ non recognoſcunt, tam ſæculares, quã Eccleſiaſticos, ſubiectos eſſe ſuis legib⁹, quoad vim directiuã, quatenus lex humana ex lege naturali, & æterna deriuatur, & vim habet obligãdi in cõſcientia, vt ſuprà nu. 5. dictũ fuit. Quod patet auctoritate ſacræ Scripturæ Matth. c. 3. n quio reprehenduntur à Chriſto illi: *Qui dicunt, & non faciunt, qui ponunt alijs onera grauia, ipſi autẽ nec digito volunt ea mouere*. Et ratio illius multiplex poteſt eſſe. Primò, quia ſi Legiſlator non ſeruat ſuam legem, iam vileſceret auctoritas ipſius apud populum. Tum ſecundò, quia ſicut populus iure naturali tenetur obedire, & conformis eſſe ſuo Principi: ita è contra Princeps iure naturali tenetur vita, & moribus conformare ſe populo, vt patet ex proportione capitis cum membris in eodem corpore, iuxta illud: *Quod tibi non vis, alteri ne ſtatuas*. Ex quo infertur, Romanum Põtificem teneri ſeruare legem ſuam de ſemel in anno confitendo, & Princeps non poteſt contra ſuas leges triticum ſuum cariùs vendere, quã pretio à lege ſua ſtatuto. Fulcitur hoc etiam auctoritate plurimorum iurium, vt in c. cùm omnes, de conſtit. in c. iuſtum, 9. diſtin. & ex l. digna vox, C. de legibus, cum alijs, & tenent Plato lib. 4. de legibus; cui accedit illud Catonis: *Patere legem, quàm tu ipſe tuleris*, & tenent S. Tho. Caietanus, & Medina vt ſuprà, Suarez cap. 35. Vazquez diſtinct. 167. Turrecremata in dict. cap. iuſtum eſt, & Canoniſtæ in d. c. cùm omnes, gloſ. & Doctores in d. l. Princeps. Couarru 2. p. in c. alma mater, §. 1. n. 4. & 5. cum alijs.

O Ad-

Digitized by Google

8 Aduertendum, quòd licèt Principes ſupradicti teneātur ſuis legibus, quoad vim directiuam, vt modò dictum eſt, non tamen tenentur ſuis legibus, quoad vim coactiuam, vt in dict. l. Princeps, ac proinde, licèt peccent cōtra ſuam legem; non tamen rei ſunt pœnæ impoſitæ per ipſam legem, & ratio euidens eſt, quia nemo poteſt legitimè cogi, aut puniri, niſi à ſuperiore: ſed Principes Legiſlatores ſuperiorem non habent in terris, & repugnat, vt ſe ipſos cogant, & propter hoc Dauid dixit Deo ad hoc oſtendendum, *Tibi ſoli peccaui*, quia non poterat cogi, aut puniri ſuis legibus vi coactiua; ſed tantùm vi directiua; ita Doctores citati, & Sotus, vt ſuprà.

9 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum deſumptum ex auctoritate Diui Pauli, & ex c. duæ ſunt, 19. diſtinct. nam reſpondetur, quòd cùm dicimus iuſtum non ſubeſſe legibus, non intelligimus, quòd verè non ſubijciatur, ſed quòd ita iuſtè viuat, ac ſi vis illa coactiua non interueniret, vt declaratum eſt num. 6. & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur eodem modo, quòd Princeps Legiſlator non ſubditur ſuis legibus, quoad vim coactiuam, prout num. 7. & 8. dictum eſt, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

***P**Roponitur quæſitum articuli, n. 1.*

Proponuntur duo argumenta, n. 2.

Conſtituitur concluſio, quòd licitum eſt quandoque legem humanam mutare, n. 3.

Princeps ſucceſſor legem ſui prædeceſſoris mutare poteſt, num. 4.

Prin-

Digitized by Google

Princeps abſque iuſta cauſa leges mutare non poteſt, numero 5.
Ad diſpenſationem tria neceſſaria ſunt, oſtenditur, numero 6. & 7.
Quando diſpenſatio valida, vel inualida ſit, oſtenditur, numero 8.
Satisfit argumentis propoſitis, n.9.

ARTICVLVS. IIII.

1 *Vtrùm lex humana debeat aliquo modo mutari.*

2 PRimò. Lex humana à lege naturali deriuatur, ſed lex naturalis immutabilis permanet: ergo lex humana debet immutabilis permanere.

Secundò. Lex humana eſt menſura, & regula humanarum actionum, vt ſuprà viſum eſt, ſed menſura, vt ait Ariſt.6.Ethic. maximè debet eſſe permanens: ergo lex humana debet immobiliter permanere.

3 His non obſtantibus, concluſio eſt. *Licitum quandoq; eſt, legem humanam mutari, abrogari ſeu derogari.*

Probatur, & declaratur concluſio ſic. Lex humana eſt quoddam dictamen rationis, quo diriguntur actus humani: ergo ex duplici capite lex humana mutari poteſt; ex parte rationis, & voluntatis Legiſlatoris, qua ratione & voluntate leges humanæ conduntur, vel ex parte hominum, quorum actus lege gubernantur. Ex parte rationis leges humanæ mutantur, nam natura noſtra, quæ rationalis eſt, & diſcurſiua, ſucceſsiuè,

& gradatim, veritatem indagatur; non poteſt intellectus humanus, ſicut intellectus Angelicus, qui naturalia omnia ſimul nouit, illico in rebus ſtatuendis intima veritatis penetrare, ſed gradatim & ſucceſſiuè, & defluxu quodam temporis, ex imperfecto, ad perfectum promouetur, & ita eſt in ſpeculatiuis, ſicut in practicis. Ex quo fit, quòd primi inuentores legum ſtatuerunt aliqua iura imperfecta, & in multis deficientia, quæ poſteriores mutauerunt, & alia bono communi magis conſentanea conſtituerunt, ſic & modo eſt. Mutantur etiam ſecundò leges humanæ ex parte hominum, nam vt lex iuſta ſit, & veram rationem legis habeat, debet eſſe in vtilitatem communem, inſpectis temporibus, perſonis, moribus patriæ, quæ omnia non manent ſemper in eodem ſtatu, ſed mutantur: propter hoc mutari debent, & leges humanæ, vt optimè oſtendit Innocentius 3. in c. non debet de conſtit. qui aſſerit: *Non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundùm varietatem temporum, ſtatuta quoque variantur humana: præſertim cùm vrgens neceſſitas, vel euidens vtilitas id expoſcat, quoniam & ipſe Deus ex his, quę in veteri Teſtamento ſtatuerat, quædam etiam mutauit in nouo.* Ità tenent Ariſt. lib. 2. Polit. c. 6. D. Auguſt. lib. 1. de liber. arbitrio c. 6. S. Thom. 1. 2. q. 97. artic. 1. Sotus de iuſtitia & iure, lib. 1. quæſtion. 7. artic. 1. Vazquez de legibus, diſput. 178. cum alijs.

4 Sed vt iſte articulus intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, Principes Legiſlatores non poſſe prohibere Principes ſucceſſores ſuos, quin valeant leges ab eis ſtatutas mutare, & ratio eſt, quia cùm ſint æqualis poteſtatis, quilibet ipſorum poterat legem latam à ſe, vel ab anteceſſore ſuo reuocare.

5 Supponimus ſecundò, Principem Legiſlatorem, legē reuo-

reuocare non poſſe, abſque iuſta cauſa, vt in c. ridiculũ, 12. diſtin. & ratio eſt, quia Legiſlatori ex officio incumbit bono reipublicæ conſulere; ergo ſi tollat legem vtilem ſine cauſa, peccat contra obligationẽ ſui officij; cauſa poterit eſſe, ſi lex antiqua potius damnum, quàm vtilitatem adferat; ſed tamen, ſi abſque cauſa legem humanam abrogauerit, valet abrogatio: ita Sanctus Thomas, cum alijs, vt ſuprà art 2.

6 Supponimus tertiò, quòd lex abrogatur, vel in totum, prout viſum eſt, vel in partem, & in particulari per diſpẽſationem ſuperioris, & eſt cùm relaxatur aliquis, vel excipitur ab obligatione legis, per diſpẽſationem: ad quam diſpenſationem tria ſunt neceſſaria, auctoritas, cauſa, & prudentia.

7 Requiritur primò, auctoritas ad diſpenſationem, nam eiuſdem eſt diſpenſare, cuius fuit condere. Requiritur ſecundò ad diſpenſationem, cauſa, nam ſine ea, ſi diſpenſat, peccatum cõmittit, quia facultas diſpenſandi data eſt in ædificationem, & non in deſtructionem. Tum præſertim, quia diſpenſare cum aliquo, eſt illum eximere ex obligatione, & vinculo, quo alij vniuerſi tenentur, quod ſi ſine cauſa ſit, in iniuriam, & detrimentum aliorum vertitur. Aduertendum tamen, quòd ſi diſpenſatio, ſine cauſa fiat in his, in quib⁹ obligatio eſt iuris diuini, vel naturalis, ſcilicet, ſi Romanus Pontifex diſpenſat in voto, vel cum aliquo, vt habeat plura beneficia curata, aut non reſideat, vel quòd Epiſcopus habeat poteſtatem teſtandi de bonis Eccleſiaſticis, quæ pauperibus erant diſtribuenda, in omnibus prędictis peccat mortaliter, & talis diſpẽſatio, quoad Deum inualida erit: & ratio clariſsima eſt, nam Summus Pontifex non habet auctoritatem ſuper ius diuinum, & naturale, vt illud ad libitum ſuæ voluntatis,

abſque cauſa diſpenſare poteſt, vt in c. fin. de conſuetudine. Requiritur tertiò ad diſpenſationem, prudentia, ſcilicet, vt Legiſlator ſemper præ oculis illud axioma Diui Pauli habeat: ***Auctoritas ei conceſſa fuit, non in deſtructionem Reipublicę, ſed in ędificationem***; ita tenent Doctores citati, vt ſuprà, & Medina art. 4. cum alijs.

8 Non obſtant in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd licèt lex humana deriuetur à lege naturali; non tamen ex hoc ſequitur, quòd debeat eſſe immutabilis, ſicut lex naturalis eſt immutabilis, quia militat diuerſa ratio; naturalis enim lex eſt quædam participatio legis æternæ, immobilis, perſeuerans, habetque immobilitatem ex perfectione diuina eam inſtituente. Lex verò humana deriuatur à lege naturali, per rationem humanam, quæ non omnia futura ſatis reſpicit: & ex hoc fit, quòd lex humana imperfecta, & mutabilis ſit. Accedit etiam, quòd lex naturæ contineat quædam vniuerſalia præcepta, quæ ſemper manēt: Lex verò poſitiua ab homine, continet quædam præcepta particularia, quæ ſecundùm diuerſos caſus, & ratione circunſtantiæ, temporis, loci mutari, & variari poſſunt, prout ſuprà n. 3. dictum fuit, & ſic non currit eadem ratio & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd verum eſt, quòd menſura debet eſſe permanens, in quantum poſsibile eſt, ſed in rebus mutabilibus, & humanis non poteſt eſſe omnino permanens, nam mutatur lex reſpectu Legiſlatoris, & reſpectu hominum, quibus imponitur, prout d.cto n. 3. dictum fuit, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVM-

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli. n. 1.
Proponuntur duo argumenta, n. 2.
Conſtituiur concluſio, ſcilicet, conſuetudo habet vim legis num. 3.
Conſuetudo quid ſit & quot effectus habeat, n. 4.
Ad conſuetudinem introducendam requiritur conſenſus Principis, & plura alia, n. 5.
In quo conueniant, & in quo differant præſcriptio, & conſuetudo num. 6.
Satisfit argumentis propoſitis, n. 7.

ARTICVLVS V.

1 *Vtrùm conſuetudo poſſit obtinere vim legis.*

2 PRO parte negatiua primò argumentor. Lex humana deriuatur à lege naturali, & à lege æterna, vt ex ſupradictis patet, ſed conſuetudo non poteſt mutare legem naturalem, neque æternam, vt in c. fin. de conſuetud. ergo nec legem humanam derogare poteſt.

Secundò. Leges conſtituere ad publicam perſonam ſpectat, & ſic priuatæ perſonæ leges efficere non poſſunt, ſed conſuetudo efficitur per actus priuatarum perſonarum: ergo conſuetudo non poteſt obtinere vim legis.

3 His non obſtantibus, concluſio eſt *Conſuetudo habet vim legis, & legem abrogare, & interpretari poteſt.*

Probatur concluſio, quia omnis lex proficiſcitur à

ratio-

ratione, & voluntate Legiſlatoris, lex diuina, & naturalis à rationabili Dei voluntate procedit, lex humana à voluntate Legiſlatoris, humana ratione regulata, quæ voluntas Legiſlatoris non ſolùm interpres legis eſt, ſed & veteris abrogatio, & nouæ conſtitutio: huiuſmodi autem rationem, & voluntatem Legiſlatoris, non ſolùm verbo, vt in legibus ſcriptis fit, verùm etiam, & facto, vt in conſuetudinibus fieri ſolet, interpretatur: ergo lex per conſuetudinem conſtituitur, & antiqua abrogatur, & interpretatur, vt probat Cõſultus in l. de quibus, ff. de legibus, Summus Pontifex in c. ex literis, in c. cum tantò, in c. cũ dilectus, de conſuetudine, & tenent Sanctus Thomas, Caietanus, & Medina, 1.2.q.97.art.3. Sotus de iuſtitia & iure lib.1.q.7.art.2. Suarez de legibus lib.7. Vazquez diſputatione 177.c.2. Lorca diſp.29. memb.1. cum alijs.

4 Sed vt iſte articulus intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd conſuetudo ſolet leges mutare, & propter hoc dum de legis mutatione agimus, præſentem articulum de conſuetudine intertexuimus. *Conſuetudo enim eſt ius quoddam, moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex*, vt in c. conſuetudo, 1. diſtinctione. Et habet conſuetudo triplicem effectum. Primus effectus eſt cõdere legem non ſcriptam, vt in dicta l. de quibus, ff. de legibus, in c. ex literis de conſuetudine. Secundus eſt, priorem legẽ abrogare, vt in d. l. de quibus. Tertius effectus eſt interpretari legem, vt in c. cùm dilectus, de conſuet. in l. ſi de interpretatione, ff. de legibus, & tenent Sanctus Thomas, & Doctores, vt ſuprà.

5 Supponimus ſecundò, quòd ad conſuetudinem introducendam plura requiruntur. Requiritur primò, non ſolùm conſenſus populi, verùm etiam conſenſus Principis expreſſus

expreſſus, tacitus, vel interpretatiuus, ſiue Princeps fuerit ſæcularis, ſiue Eccleſiaſticus. Requiritur ſecundò, tempus ad firmitatem conſuetudinis, vt vim legis obtinere, vel legem reuocare poſsit, & ſi fuerit conſuetudo introducta cum expreſſo conſenſu Principis, tunc non erit neceſſarium expectare tempus in iure determinatum, quia expreſſa voluntas Principis, non minorem vim habet in legibus inſtituendis, quàm in conſuetudine firmanda. Quando verò introducitur conſuetudo conſenſu Principis tacito, tunc requiritur tempus determinatum: & ratio eſt, quia quando Princeps expreſſè non conſentit, non præſumitur conſentire, niſi tranſacto tempore à iure determinato. Quantum, & quale ſit tempus à iure determinatum, non ita clarè conſtat in iure Canonico, & Ciuili, & nimis varij ſunt Doctores, ſed ferè communiter dicunt, illud tempus requiri ad conſuetudinem, quod requiritur in præſcriptione aliarum rerum, videlicet tempus decennij, Principe præſente, & ipſo abſente requiritur tempus viginti annorum, & contra Eccleſiam quadraginta annorum: ita Suarez, vt ſuprà capite 18. & Doctores in c. finali, cod. tit. cum alijs. Tertiò requiritur ad conſuetudinem introducendam, vſus per actus frequentatos, & ſi fuerit præſcripta per tempus ſupradictum, non requiruntur actus iudiciales, niſi aliter diſpoſitum fuerit per ius municipale alicuius regni; & de iure Regio requiruntur ſaltim duo actus iudiciales, videlicet duæ ſententiæ iudiciales prolatæ contra legem in fauorem conſuetudinis. Quartò requiritur, quòd conſuetudo manifeſtè introducatur per extrinſecum vſum, qui ita manifeſtus debet eſſe, vt Principi innoteſcat: & ratio eſt, nam debet conſuetudo introduci, & perfici cum conſenſu Principis expreſſo, tacito, vel præſumpto. Quintò

Digitized by Google

requiritur, quòd conſuetudo ſit iuſta, rationabilis, non contra ius diuinum, nec naturale, & quòd ſit vtilis bono communi, vt in c. erit autem lex, 4. diſtinct. in c. fin. de conſuetudine; ita Vazquez, Suarez locis citatis cum alijs.

6 Supponimus tertiò, quòd licèt præſcriptio, & conſuetudo in pluribus conueniant, & aliquando vnum pro altero accipiatur; differunt tamen multipliciter. Primò, quia præſcriptio non introducit ius legale, ſeu legem, ſicut conſuetudo, ſed confert tantùm ius dominij alicuius.

Secundò differunt, quia ad introducendam conſuetudinē, requiritur vſus populi; ad præſcriptionem ſufficit vſus priuatæ perſonæ. Tertiò, ad inducendam conſuetudinem requiritur conſenſus Principis, contra cuius leges conſuetudo introducitur: ad præſcriptionem non requiritur conſenſus illius. Quartò, ad conſuetudinem non eſt neceſſarius titulus; ad præſcriptionem requiritur titulus. Quintò, ad inchoandam conſuetudinem non eſt neceſſaria bona fides, nam poteſt inchoari cum mala fide; quæ tamen ad præſcriptionem neceſſaria eſt. Sextò, differunt ex parte temporis; nam licèt vtraque temporis curſum requirat, in præſcriptione à lege determinatum eſt tempus, non autem in conſuetudine, ita tenet Abbas in c. fin. de conſuet. cum gloſ. Couaruu. in regula poſſeſſor 2. p. §. 3. n. 2. Suarez vt ſuprà, c. 1. cum alijs.

7 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd lex æterna, & naturalis procedunt à voluntate diuina, quæ immutabilis eſt, & non poſſunt mutari per conſuetudinem introductam à voluntate humana, nam nullus inferior

legem

Digitized by Google

legem ſuperioris derogare poteſt, vt in c. fin. de conſuetudine; non ſic eſt de lege humana, quæ licèt deducta ſit ex iure naturali, quia tamen induſtria humana inuenta, & acta eſt ab hominibus, mutari poteſt, vt dictum eſt, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd multitudo, per quam conſuetudo introducitur, vel eſt libera in Republica, & ſicut poteſt condere leges, ſic poterit per conſuetudinem eas derogare, & nouas introducere: vel eſt multitudo ſubiecta alicui Principi, & tunc non poteſt conſuetudinem introducere ſine conſenſu illius Principis expreſſo, tacito, vel præſumpto, vt dictum eſt, & ſoluitur argumentum, articulus, & diſputatio.

DE

DE LEGE Veteri.

DISPVTATIO Septima.

IN QVINQVE ARTICVLOS diuiſa.

In ſupradictis diſputationibus de lege æterna, naturali, & humana, per quas homo ad finem naturalem ordinatur, ſufficienter diſputatum eſt. Reſtat in ſubſequentibus diſputationibus, vt de lege diuina poſitiua dicamus, per quã ad finem ſupernaturalem promouemur. Et primò de lege Veteri.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, n. 1.
Proponuntur duo argumenta, n. 2.
Conſtituitur concluſio, ſcilicet, præter legem æternam, naturalem, & humanam, neceſſaria fuit lex diuina, num. 3.
Breuiter, quibus rationibus fuit neceſſaria lex diuina poſitiua.

ua, oſtenditur, num. 4.

Lex diuina poſitiua, eſt quædam participatio legis æternæ, oſtenditur, d. n. 4.

Diffinitio ipſius legis diuinæ poſitiuæ oſtenditur, d. numero 4.

Satisfit argumentis propoſitis, n. 5.

ARTICVLVS I.

1 *Vtrùm præter legem æternam, naturalem, & humanam, fuerit alia diuina lex hominibus neceſſaria.*

2 PRimò, pro parte negatiua argumentor ſic. Lex naturalis, vt dictum eſt, quædam pars ſeu participatio legis æternæ in nobis eſt, ſed lex æterna eſt lex diuina: ergo præter legem æternam, naturalem, & humanam, non fuit neceſſaria alia lex diuina.

Secundò. Natura humana nobilior, & ſufficientior eſt alijs creaturis irrationabilibus, ſed irrationales creaturæ non habent aliquam legem diuinam, præter inclinationem naturalem eis inditam à lege æterna: ergo multò minùs homines debent habere aliam legem diuinam, præter æternam, naturalem, & humanam.

3 His argumentis non obſtantibus, concluſio eſt. *Præter legem æternam, naturalem, & humanam, neceſſaria fuit hominibus alia lex diuina poſitiua.*

Probatur concluſio. Primò, ex veritate ſacræ Scripturæ, Dauid ait: *Legem pone mihi, Domine, viam iuſtificationum tuarum.*

P 3 Secun-

Secundò oſtenditur fuiſſe neceſſariam prædictam legem diuinam poſitiuam, quatuor rationibus. Prima ratio eſt, quia licèt lex æterna, naturalis, & humana ſufficienter dirigant nos ad finem naturalem, non tamen poſſunt nos dirigere ad finem ſupernaturalem, ad quem creati ſumus: ergo præter ſupradictas tres leges, fuit neceſſaria hominibus alia lex diuina poſitiua, quæ dirigeret ad prædictũ finem. Secundò quia humanum iudicium incertum eſt, præſertim, quoad contingentia, & ſingularia: ergo, vt homo certè in actionibus humanis in particulari inſtrueretur ad agendum, vel vitandum, cùm lex æterna, & naturalis non ſe extendant ad particularia, & lex humana incerta ſit, neceſſarium fuit, vt homines per legem diuinam poſitiuam in particulari certè inſtruerentur in actionib⁹ proprijs. Tertia ratio. Homo, tam in actib⁹ exterioribus, quàm in interioribus rectitudinem habere debet, ſed iudicium hominis non poteſt eſſe de actibus interioribus, nam non poteſt de eis iudicari, quia latent: ergo neceſſarium fuit, quòd ad hoc ſuperueniret lex diuina poſitiua. Quarta ratio, quia lex humana non poteſt omnia mala prohibere, vt ſupradictum fuit: ergo ne aliquod malum abſque prohibitione, & punitione remaneret; neceſſaria fuit lex diuina poſitiua, per quam omnia peccata prohiberentur; ita tenent S. Thom. 1.2.q.91.art.4. Sotus de iuſt. & iure.lib.2.q.1.art.1.

4 Ex dictis colligitur breuiter Primò, quòd lex diuina poſitiua neceſſaria fuit primò, vt dirigeret homines ad finem ſupernaturalẽ. Secũdò, vt iuuaret homines in naturalibus ne errarent. Tertiò, vt etiã de interioribus actibus poſſet præcipi. Quartò, vt omne malum prohiberet, quod non poteſt lex humana. Colligitur ſecundò, quòd lex diuina poſitiua, de qua loquimur in præſenti, nõ eſt ipſa lex æterna,

na,prout in Deo exiſtit,quæ eſt fons,& origo omniũ aliarum legum,de qua loquuti ſumus in diſputatione tertia, ſed eſt lex diuina poſitiua , quædam participatio,ſeu quędam pars prædictæ legis æternæ, quæ in cordibus hominum diuinitùs ſubſcripta eſt,vt clariùs patebit infrà.Quæ lex diuina poſitiua ſic definitur. ***Lex diuina eſt diuinum decretum,hominibus præſcribens modum neceſſarium , vt aptè peruenire poſsint ad ſupernaturalem beatitudinem***,ita S.Thom.vt ſuprà,& Valentia diſp.7.quæſt. 6. de lege diuina.p.2.

5 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primũ,nã reſpondetur,ꝙ per legẽ naturalẽ participamus legem æternam,in quantum neceſſaria fuit ad finem naturalem conſequendum;ſed oportuit, vt altiori modo homo dirigeretur in vltimũ finẽ ſupernaturalẽ, & ideò ſuperadditur lex diuina poſitiua, per quam lex æterna nobis communicatur particulari modo, vt dictum eſt , & infrà videbitur , & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum , nam reſpondetur , quòd creaturæ irrationales non ordinantur ad altiorem finem ſupernaturalem, & propter hoc non currit eadem ratio in eis,ſicut in hominibus, & non valet argumentum , & ſoluitur cum articulo.

SVMMARIVM.

PRoponitur quęſitum articuli.n.1.

Proponuntur tria argumenta,n.2.

Conſtituitur concluſio ſcilicet, lex vetus fuit bona ; & probatur,n.3.

Lex vetus,licèt fuerit bona,non tamen fuit perfecta , oſtenditur,n.4.

Oſten-

Digitized by Google

Oſtenditur etiam, quomodo lex vetus non fuerit perfecta, numer. 5.
Lex vetus à Deo data fuit, oſtenditur, n. 6.
Lex vetus à Deo data fuit, & per Angelos Moyſi, oſtēditur, num. 7.
Satisfit argumentis propoſitis, n. 8.

ARTICVLVS II.

1 ## *Vtrùm lex vetus fuerit bona, & à Deo lata fuerit.*

2 PRimò contra quæſitum argumentor ſic. Lex bona diuina non permittit peccata, ſed lex vetus permittit vſuras, & repudium: ergo non fuit bona.

Secundò. Quòd non fuerit lex vetus bona, patet ex verbis Ezechielis, cap. 20. vbi dicit Deus: *Dedi eis legem non bonam, & præcepta, in quibus non viuent*: ergo lex vetus non fuit bona lex.

Tertiò ad bonitatem legis requiritur ſecundùm Iſidorum in cap. erit autem lex, 4. diſtinct. quòd ſit poſſibilis ad obſeruandum ſecundùm naturam, & ſecundùm humanam conſuetudinem, ſed id non continebat lex vetus, vt ait Diuus Petrus Act. 15. *Quid tentatis hypocritæ iugum ſuper ceruicem diſcipulorum imponere, quod neque vos, neque patres veſtri portare potuerunt*: ergo lex vetus non fuit bona.

5 His non obſtantibus, concluſio eſt. *Lex vetus fuit bona & à Deo.*

Proba-

Digitized by Google

Probatur concluſio quoad primam partem, auctoritate Diui Pauli ad Romanos, cap 7. & cap. 22. *Lex quidem ſancta, mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.* Et copioſiùs id oſtendit ad Timoth. cap. 1. & ad Galat. cap. 3. & Dauid in Pſalm. 8. *Lex Domini immaculata conuertens animas*: ergo lex vetus fuit bona.

Probatur etiam ratione, diſcurrendo per omnes cauſas: & primò reſpectu efficientis ipſius legis, quæ fuit Deus, vt in Leuitic. & in alijs libris apparet, & ad ſingula præcepta apponitur: *Ego Dominus: Ego Deus. Locutus eſt Dominus ad Moyſem: præcepit filijs Iſrael*: ergo ſi hæc lex fuit à Deo, Deus non potuit eſſe auctor malæ legis: ergo dicendum eſt, quòd lex vetus bona fuit.

Secundò, reſpectu cauſæ materialis, & formalis, quia lex iſta fuit regula humanarum actionum, & fuit ratio rectæ rationis: præcipiebat enim bona opera, & prohibebat mala, vt patet in ſingulis præceptis Decalogi, & in præceptis moralibus, & cæremonialibus, & iudicialibus.

Tertiò probatur reſpectu cauſæ finalis, nan data fuit hæc lex ob varias vtilitates, vt infra patebit: ergo iſta lex bona fuit: ita tenent Sanctus Thomas, Vazquez, Medina in 1. 2. quæſtio. 98. artic. 1. Suarez de legibus, lib. 9. cap. 8. Lorca de legibus, diſp. 30. Sotus de iuſtiria & iure, lib. 2. q. 1. art. 2. cum alijs.

4 Sed vt iſte articulus intelligatur, tres difficultates diſcutiendæ ſunt. Prima erit, quòd licèt lex vetus fuerit bona, non tamen fuit perfecta, quod potuit eſſe, vel quia continebat plures imperfectiones, vel dicitur imperfecta, per reſpectum, & comparationem ad perfectionem legis nouæ, vt patet hoc auctoritate

Digitized by Google

Diui Pauli ad Hebr.c.7.vbi ait: *Nihil ad perfectum adduxit lex*, & ad Galatas, c.2. *Si ex lege iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*, & ratio iſtius eſt, vt ait S. Thom. nam ſicut finis, & perfectio legis humanæ, eſt efficere ſubditos bonos, bonitate quadã ciuili, & politica: ita finis legis diuinæ, eſt efficere homines ſimpliciter iuſtos coram Deo, & adducere illos ad ſupernam beatitudinem, quæ in Dei viſione conſiſtit: ergo illa lex cenſetur perfecta, quæ ad illum finem homines perducit: illa verò lex, quæ illum finem demonſtrat, ſed vſque ad illum finem non perducit, bona lex dicitur, ſed non perfecta: & ſicut medicina bona, & perfecta dicitur illa, quæ hominem ſanat, bona verò, ſed imperfecta erit illa alia, quæ hominem adiuuat, licèt eum ſanare non poſſet: ita fuit lex vetus, quæ nõ conferebat gratiam, non iuſtificationem, non reconciliationem cum Deo, non aperiebat ianuam cæli: vt infra copioſiùs hoc patebit, & tenet S. Thom. cum alijs, vt ſupra.

5 Nec obſtat, ſi dicatur contra hoc, quòd in veteri lege multi fuerunt Sancti Patres, Patriarchæ, & Prophetæ, qui fuerunt iuſti, perfecti, & amici Dei. Tum etiam, quia in Sacramentis veteris legis, pręſertim in circunciſione conferebatur gratia, & remittebatur peccatum originale: ergo verum non eſt, quòd lex vetus non conferebat gratiam, non iuſtificationem, non recõciliationem cum Deo, vt modò dictum fuit: nam ad hoc reſpondetur, quòd gratia, quæ in circunciſione, & Sanctis Patribus in veteri lege dabatur, non erat exhibita ex efficacia illius legis, ſed dabatur ex fide, & amore in Chriſtum venturum: vt ait Ioann.c.1. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ex quo factum eſt, quòd illi in veteri lege Sancti Patres, qui ſaluabantur, non per legis opera, ſed per fidem Chriſti venturi, in cuius paſſione nitebantur Iuſtorum merita, ſalua-

Digitized by Google

ſaluabātur. Nos verò in noua lege per Sacramenta, & per fidem eiuſdem Chriſti præſentis, & ianua cæli nobis aperta eſt.

6 Secunda difficultas eſt. Si lex vetus fuerit à Deo, & hoc inquiritur propter Manicheos, qui dixerunt, propter argumenta ſupradicta & alia, quæ ab ipſis colliguntur ex imperfectione iſtius legis, non fuiſſe à Deo iſtam legem: ſed prædictus error reiectus eſt, condemnatus & reprobatus à Sanctis Patribus, vt in Concil. Trident. Seſſ. 4. Vera & catholica ſententia eſt. *Lex vetus à Deo data fuit, qui eſt Pater Domini noſtri* Ieſu *Chriſti*, vt ſupra oſtenſum fuit. Quod conſtat plurimis auctoritatibus ſacræ Scripturæ, Luc. c. vltimo, loquens de Chriſto dixit: *Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, in Pſalmis, & in Prophetis de me*, & alibi, *Si crederitis Moyſi, forſitan, & mihi*: & Matth. c. 15. loquens idem Chriſtus de lege Moſayca, appellat illam, mandatum Dei, dicens: *Irritum feciſtis mandatum Dei, propter traditiones veſtras*. Et ratio iſtius clara eſt, nam eiuſdem eſt proponere finem, & media ad finem, ſed lex Euangelica fuit finis legis Moſaycæ: vt ait Paul. ad Roman. c. 10. *Finis legis eſt Chriſtus*: ergo idem Deus, qui fuit auctor legis Euangelicæ, fuit etiam auctor legis Moſaycæ, diſponebat enim lex vetus ad Chriſtum, & ad legem nouam, nam omnia ſacrificia veteris Teſtamenti erant figura ſacrificij noui Teſtamenti: quid enim aliud ſignificabant immolationes animalium, quàm immolationē Chriſti in Cruce? Omnes Prophetæ de Chriſto vaticinati ſunt. Omnes promiſſiones veteris Teſtamēti in Chriſto impletæ ſunt, ita S. Tho. vt ſupra art. 2. & Suarez loco citato cum alijs.

7 Tertia difficultas eſt. Si lex vetus fuit per Deum, vel per Angelos data. Et hæc difficultas oritur ex magna

controuerſia,quę erat inter Sanctos Patres,nam in multis auctoritatibus ſacræ Scripturæ reperitur, quòd lata fuerit hæc lex à Deo, & in aliquibus alijs ab Angelis. Ad quam difficultatem dico,quòd vtrũque verum eſt, quòd à Deo data fuit lex vetus, & ab Angelis,& per Moyſem promulgata Iudæis, ſed fuit hoc ordine. Deus vtriuſque legis auctor fuit,& veteris, & nouæ,ſed veterẽ non per ſe ipſum immediatè promulgauit, ſed per Angelos miniſtros ſuos,eo dictante, data fuit Moyſi, & per Moyſem populo Hebraico. Noua verò lex, quæ perfectior erat, fuit data, & promulgata ab ipſo Deo homine Apoſtolis, & per Apoſtolos toti mundo: ita S.Thom.& Conradus, vt ſupra art. 3.Suarez,c.2.& 5.cum alijs.

8 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur: quòd licèt lex vetus permiſerit vſuras, & libellum repudij, fuit hoc permiſſum, tanquam minùs malum ad euitanda maiora mala, non tamen fuerunt prædicta præcepta, ſed permiſſa, vt dictum eſt,& ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundũ deſumptum ex auctoritate Ezechielis;nam reſpondetur,quòd præcepta veteris legis dicuntur non bona,non quia mala fuerunt,ſed quia imperfecta erant,& gratiã non conferebãt.Et ſoluitur ſecundũ.

Non obſtat tertium, nam reſpondetur, quòd lex illa vetus fuit lex ſeruilis, & non lex filialis, ſicut lex noua,& fuit accommodata pro illo tempore, & fuit difficilis tribus de cauſis. Primò propter multitudinem præceptorum.Secundò,propter ſeueritatem pœnarũ.Tertiò,propter auſteritatem aliquorũ pręceptorum,& ob id iugũ importabile appellabatur,quaſi difficile, & minùs ſuaue,ſed nihilominus potuerat impleri per Dei gratiam,quæ tunc etiam nulli negabatur,licèt non dabatur virtute ipſius le-

gis, ſed ex fide Chriſti futuri, vt dictum eſt & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

PRoponitur quęſitum articuli, nu. 1.

Proponuntur duo argumenta, nu. 2.

Conſtituitur & probatur prima concluſio, lex vetus obligat ſolùm Iudæos, nu. 3.

Gentiles ſaluabantur in lege naturę, ſi legem Moſaycam non ſuſcipiebant, oſtenditur, nu. 4.

Conſtituitur ſecunda concluſio, ſcilicet, conuenienti tempore lex vetus data fuit, nu. 5.

Explicatur in quo conſiſtat forma iſtius legis, n. 6.

Omnes homines ante legem Moſaycam ſub lege naturę viuebant, & ſaluabantur, nu. 7.

Satisfit argumentis propoſitis, nu. 8.

ARTICVLVS. III.

1 *Vtrùm lex vetus obligauerit ſolùm Iudæos, & conuenienti tempore data fuerit.*

2 PRimò argumentor ſic. Lex vetus figura erat, præparatio, & diſpoſitio ad legē Chriſti, & diſponebat ad ſalutem, quę futura erat per Chriſtum, ſed ſalus illa non erat futura ſolùm Iudæis, ſed omnibus gentibus, vt ait Iſai. c. 49. *Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus, ad ſuſcitãdas Tribus* Iacob, *& fæces* Iſrael *conuertendas, dedi te in lucē gentibus, vt ſis ſalus mea, vſque ad extremũ terrę*: ergo lex vetus dari debuit, & obligare omnes gētes, & non ſolũ Iudæos.

Secundò. Lex vetus, vt dictum eſt, diſponebat ad ſalutem, quæ erat futura per Chriſtum, ſed ſtatim homo poſt peccatum indiguit huiuſmodi ſalutis remedio: ergo non cōuenienti tempore Moyſi data fuit lex.

His non obſtantibus, concluſio prima eſt: *Lex vetus data fuit, & obligat ſolùm* Iudæos.

3 Probatur concluſio, primò auctoritate ſacræ Scripturæ, Exod. c. 19. & c. 20. Deutero. c. 4. & c. 8. D. Paul. ad Ro. c. 1. & Dauid in Pſalm. 147. ait, *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis*. Et ratio, ob quam lex iſta data fuit particulari populo Iudaico, & non omnibus, multiplex poteſt eſſe. Primò, quia iſta lex non data fuit, vt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem; licèt fuerit vtilis: nam ſine illa potuerant homines ſaluari, prout ſaluabãtur ante prædictam legem, per legem naturæ, & noluit Deus hæc media vtilia omnibus conferre. Secundò, data fuit hæc lex populo Hebraico, nõ propter iuſtitiam eius, cùm populus eſſet duræ ceruicis, ſed præceſsit cauſa illius beneficij, & peculiaris fauoris ex gratuita voluntate ipſius Dei, ex promiſsione Sanctis Patribus facta, quòd ex illo populo Chriſtus naſciturus erat, decebat enim ex hoc, vt ille populus quadam ſpeciali ſanctificatione polleret, & peculiari modo eum diſponere, & ab alijs nationibus diſtinguere, dando illi legem, Prophetas, Sacerdotes, ſacrificia, & alia ſpecialia ornamenta: ita S. Thom. & Medina in 1. 2 q. 8. art 4. Sotus de iuſtitia & iure, lib. 2. art. 3. Suarez de lege veteri, lib. 9. c. 5. Lorca diſputatione 34. cum alijs.

4 Sed vt iſta concluſio clariùs intelligatur, ſciendum eſt, quòd ſicut lex vetus ſolùm Iudæis data, & ſolemniter promulgata fuit: ſic ſolùm illum populum obligare debuit. Vnde factum eſt, quòd Gentiles non tenebantur illam legem ſeruare, ſed tantùm legem naturæ. Et ratio clara eſt, nam lex non obligat, niſi tantùm illos, quibus imponitur, & promulgatur, quod ſolùm Iudæis factum fuit: ergo illos ſolùm obligabat. Sed aduertendum eſt in hoc. Primò,

quòd

Digitized by Google

quòd licèt Gentiles non tenerentur ad legem veterem, qui tamen volebant ad eam introire, permittebatur, & ex inde ad illam legem ſuſceptam ſeruandam tenebantur, ſicut ipſi Iudęi, vt in Exod.c.12. continetur. Secundò, etiam aduertendum, quòd Gentiles, qui non erant ſub lege veteri, tenebantur tamen præcepta naturalia illius legis ſeruare, non in quantum erant præcepta ſcripta in illa lege, ſed in quantum erant præcepta naturalia, ad quæ omnes homines tenentur: ita S.Tho. vt ſupra art.5. & Do res ſupra citati.

5 Secunda concluſio. *Conuenienter lex vetus data fuit tempore Moyſis.*

Probatur concluſio, cuius rationem inueſtigat S. Tho. dum oſtendit, quòd poſt peccatum primi hominis per multum tempus dilatata fuit lex, vt homines lapſi fragilitatem naturæ ſuæ, & indignitatem ſui ſtatus agnoſcerent: & quia de ſua ſcientia, & ratione præſumebant, ſine lege ſcripta relicti ſunt per multum tempus, vt agnoſcerent, & conuincerentur, quòd ratio naturalis ſola, ipſis non poterat ſufficere, quæ per conſuetudinē peccatorum plurimùm obſcurata fuit; ita vt in varios errores lapſi, humiliati denique confiterentur ſe indigere diuina inſtructione, & lege. Poſtea verò, ne hoc malū nimiùm creſceret, & omnes hominū nationes prorſus occuparet, data fuit Iudæis lex in auxilium, tempore Moyſis, quod fuit medium interpoſitum; inter tempus creationis, & incarnationis Chriſti: ita Sanct. Thom. vt ſupra, articul. 6. cum alijs citatis.

6 Sed ad maiorem declarationem iſtius concluſionis, ſciendum eſt, primò, quòd Doctores in iſto articulo explicare ſolent formam ipſius legis veteris, quæ conſiſtit in illo externo ſigno, quo voluntas, ſeu mens Legislatoris mani-

manifeſtatur ſenſibili voce, vel ſigno humano generi proportionato, quo mediãte innotuit populo Iudaico interna mens, & voluntas Dei, per legem veterem explicata, vt factum fuit, Exod. c. 20. & ſufficienter explicuimus in diſput. 1. art. 3. & ibi videndum erit.

7 Secundò ſciendum eſt, quòd ante Moyſem non fuit data lex vetus, & ideo totum illud primum tempus, dictum fuit tempus legis naturæ, quia ſub illa lege homines tunc viuebant, & ſaluabantur, & etiam probabile eſt ante legẽ Moyſis, dediſſe Deũ hominibus interdũ vnum, vel aliud peculiare præceptum, iuxta conſilium voluntatis, & ſapientiæ ſuæ, non ſcriptum, ſed interna inſpiratione: & ſimiliter, quodammodo propter hoc dici poteſt, prædictam legem veterem inchoatam fuiſſe tempore Abrahæ, cui data fuit circuncìſio: ita tenent S. Tho. vt ſupra, & Suarez, c. 1. & 5. cum alijs citatis.

8 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd licèt lex vetus, figura & preparatio erat ad legem Euangelicam, quæ vniuerſalis eſt, non oportuit ei tanta ſimilitudine reſpondere, vt eſſet tam vniuerſalis iſta, ſicut lex Euangelica, imo conuenit, vt peculiari populo daretur iſta lex, ex quo Chriſtus naſciturus erat, vt n. 3. dictum fuit, & ſoluitur primum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd ſtatim poſt peccatum primi hominis non decuit, vt lex daretur, quia homines nondum recognoſcebant ſe ea indigere, de ſua ratione confiſi, quoadvſque humiliarentur, prout numer. 5. dictum fuit, & ſoluitur argumentum & articulus.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli, nu.1.
Proponuntur duo argumenta, nu.2.
Conſtituitur concluſio, quòd præcepta veteris legis cõuenientes diuiduntur in præcepta moralia, cæremonialia, & iudicialia, nu.3.
Declarantur præcepta moralia veteris legis, nu.4.
Omnia pręcepta moralia ſummatim continentur in pręceptis Decalogi, & declarantur, nu.5.
Declarantur pręcepta cęremonialia veteris legis, nu.6.
Plura ſunt genera pręceptorum cęremonialium, oſtenditur, nu.7.
Declarantur pręcepta iudicialia veteris legis, nu.8.
Plura ſunt genera præceptorũ iudicialium, oſtenditur, nu.9.
Quot fuerunt pręcepta veteris legis, oſtenditur, nu.10.
Pręceptum fidei, ſpei, & charitatis non continetur intrinſecè, ſed deforis ſuperadditũ eſt in lege veteri, declaratur, num.11.
Satisfit argumentis propoſitis, nu.12.

ARTICVLVS. IIII.

1 *Vtrùm conuenienter lex vetus in tria genera præceptorum diuidatur, in moralia, cæremonialia & legalia.*

2

PRimò pro parte negatiua ſic argumẽtor. Lex vetus diſtinguitur à lege naturali, vt ſupra viſum fuit, ſed præcepta moralia pertinent ad legem naturæ, vt ait S. Thom. q.91. art.4. & 5. ergo non conuenienter conſtituuntur in ea præcepta moralia.

Secundò D. Auguſtin. contra Fauſtum, lib. 6. c. 2. ait, *Quòd in lege veteri ſunt pręcepta vitę agendę, & pręcepta vitę ſignificandi*, ſed præcepta vitæ agendæ ſunt præcepta moralia: præcepta autem vitæ ſignificandi ſunt cæremonialia: ergo præter hæc duo genera præceptorũ, ſuperfluè in hac lege inſtituuntur iudicialia præcepta.

3 His, & alijs omiſsis non obſtantibus, concluſio eſt. *Pręcepta veteris legis conuenienter diuiduntur in moralia, cæremonialia, & iudicialia.*

Probatur concluſio. Primò auctoritate ſacræ Scripturæ. Deuter. c. 6 *Hæc ſunt præcepta, & cęremonię, atque iudicia, quę mandauit Dominus Deus nobis.* Et D. Paulus ad Rom. c. 5. dicit: *Pręceptum ſanctum, iuſtum, & bonum*, ſanctum vocauit præcepta cæremonialia, iuſtum præcepta iudicialialia, bonum præcepta moralia, quæ honeſtatem, & bonitatem continent: ergo tria tantùm ſunt genera pręceptorum in veteri lege. Probatur etiam hac ratione, quia lex diuina docet homines dirigere, vt benè ſe habeãt erga Deum & proximum. Hoc autem fit duobus modis. Primò per præcepta moralia, quæ generaliter, & in communi loquuntur, & diſponunt, vt Deum eſſe colendum, proximum non eſſe lædendum. Fit etiam ſecundò, per præcepta cæremonialia, & iudicialia, quæ in particulari determinant, quibus ritibus, & cæremonijs colendus ſit Deus, & quibus modis ſeruanda ſit iuſtitia inter homines: ergo hæc tria genera præceptorum neceſſaria fuerũt in veteri lege.

Ex dictis colligitur, quòd omnia pręcepta moralia ſunt de iure naturali: reliqua verò cæremonialia, & iudicialia, quæ ſunt particulares determinationes dictorum præceptorum moralium, tùm quoad cultum diuinum, tùm quoad iuſtitiam ſeruandam inter homines, ſunt de iure poſitiuo

tiuo diuino, vel humano, vt in diſputatione ſubſequenti, artic. 4. nu. 6. videndum erit, & tenet Sanctus Thom. 1. 2. quæſt. 99. artic. 4. quem ſequitur Medina, Conradus, Suarez de lege veteri, c. 4. Lorca diſputatione 31. Sotus de iuſtit. & iure, lib. 2. q. 2. art. 2.

4 Sed vt iſte articulus benè intelligatur in quo agitur de materia, ſeu de præceptis, quæ cōtinētur in lege veteri, de ſingulis prædictis dicēdū erit. Et primò de præceptis moralibus dico, certiſsimum eſſe, legem veterem continere quædam præcepta moralia, quæ data fuerunt à Deo ad ſanctificationem populi illius, vt patet auctoritate Exod. c. 20. Et ratio clara eſt, nam ſicut intentio principalis legis humanæ, eſt facere amicitiam inter homines ipſos, ita intentio diuinæ legis, eſt cōſtituere principaliter amicitiam inter homines cū ipſo Deo, ſed impoſsibile eſt hominem eſſe Dei amicum, qui eſt optimus, niſi ipſi homines quoque perfecti, & boni efficiantur. Iuxta illud Leuitici, c. 19. *Sancti eſtote, ſicut & ego ſanctus ſum*, bonitas verò ab hominibus aſſequitur ex actibus virtutum, quæ conſiſtunt in moralibus præceptis: ergo de eis neceſſe fuit in lege veteri, vt darentur aliqua præcepta, præſertim, quia obſcurata erat in hominibus propter conſuetudinem peccatorum ratio naturalis, quæ illa dictabat, vt ſupradictum eſt & tenet S. Tho. loco citato, artic. 2.

5 Aduertendum tamen in hoc eſt, quòd omnia moralia legis præcepta ſummatim, & compēdioſè in decem præceptis Decalogi continētur: quorum tria priora reſpiciūt cultum diuinum, reliqua verò reſpiciunt iuſtitiam cum proximo ſeruandam, iuxta illud Matthæi cap. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum*. Sed licèt in prędictis cōtineantur omnia præcepta naturalia: continentur tamen ſub diuerſa

Digitized by Google

ratione, nam illa, quæ ſunt prima principia continentur in concluſionibus proximis: reliqua verò è conuerſo continentur, ſicut concluſiones in principijs ſuis, ex quibus deriuātur: ita S. Tho 1.2. q. 100. art. 3. & 11. cū alijs citatis.

6. Dico ſecundò, quòd in veteri lege continentur quoq; plura præcepta cæremonialia, quæ præſcribunt diuerſas cæremonias, & ritus pertinentes ad cultū diuinū: & ratio clara eſt, nā lex diuina principaliter ordinat homines ad ipſum Deū, vt dictū eſt, quæ ordinatio non fuit ſolùm per actus interiores mentis, vt eſt credere, ſperare, & amare, ſed etiā fit per quædā exteriora opera cæremonialia pertinentia ad ipſum cultū diuinum, quibus Deus colitur. Et quamuis colere Deū in cōmuni, actus ſit virtutum moraliū, vt in tribus primis pręceptis Decalogi cōtinetur: determinationes autē in particulari, quòd veneretur tali ritu, tali ſacrificio, talibus hoſtijs, victimis, & oblationibus, pertinet ad pręcepta particularia, cæremonialia, & poſitiua.

7. Aduertendum tamen in hoc eſt, quòd diuerſa ſunt genera dictorum præceptorum cæremonialium, quę ad cultum diuinum pertinent. Nam quædam verſantur circa ſacrificia, oblationes, & victimas. Quædam circa inſtrumenta diuini cultus, vt ſunt Tabernaculum, arca fœderis, propitiatoriū, menſa, altare, vaſa, veſtes, ſacerdotales, & ſimilia. Quædam circa ſacramenta iſtius legis veteris, vt fuit circunciſio, agnus Paſchalis, conſecrationes Sacerdotum, purificationes, & expiationes à peccatis, & reliqua. Quædam erant denique circa obſeruationes legales, vt diſcretio ciborum, abſtinentia à ſanguine, ieiunia, vota, ſolemnitates feſtiuorū, determinatus vſus veſtium ſacerdotalium, vt copioſè de his omnibus tractat S. Thom. vt ſupra, q. 101. & q. 102. & q. 103. Sotus, vt ſupra q. 5. cum alijs.

8. Dico tertiò, quòd in veteri lege cōtinebantur etiā plu

Digitized by Google

ra præcepta iudicialia: & ratio fuit, quia lex diuina, licèt principaliter inſtituta fuerit ad cuſtodiēdā amicitiā inter homines, & ipſum Deū, fuit etiā conſtituta ſecundariò ad cōſeruandū amicitiā inter homines ipſos, inter ſe: ergo neceſſariū fuit ad iuſtitiā ſeruandam inter ipſos homines, vt darentur prædicta præcepta iudicialia, quæ ſi conſiderentur in genere, & in communi, præcepta naturalia ſunt, & epiloguntur in ſeptē præceptis Decalogi: ſi verò conſiderentur, vt determinationes quædā particulares, ſunt præcepta poſitiua, quæ præſcribunt certā formam in particulari ad conſeruandam iuſtitiā inter homines, & dicuntur determinationes quædam particulares diuinæ poſitiuæ.

9 Aduertendū tamē in hoc eſt, quòd tot ſunt genera prędictorū præceptorū iudicialiū, quot ſunt genera hominū, inter quos iuſtitia cōſeruari debet: & quædā ſunt pręcepta iudicialia, quæ præcipiunt certū ordinē iuſtitiæ inter Principē, & populū: dantur enim quædā præcepta de inſtitutione Principis, quomodo Princeps creādus ſit, quomodo ſe gerere debeat erga populū, & viciſsim populus erga illū: quædā dātur præcepta inter ipſos populos, quomodo ſe debeāt habere inter ſe in emptionibus, & venditionibus, & in alijs cōtractibus, & cōmercijs. Alia quædam dantur inter populū, & extraneos, quomodo habere ſe debeāt homines in pace, & in bello ſeruādo. Quædā alia pręcepta iudicialia deniq; dantur inter domeſticos eiuſdē familiæ, vt inter parentes & filios, inter virū & vxorē, inter Dnm & ſeruū, vt oſtendit S. Tho. vt ſupra q. 104. art. 4. & copioſè de prædictis iudicialibus tractat ipſe S. Doctor. d. q. 104. & q. 105. Sotus, vt ſupra, q. 6. cum alijs.

10 Dico quartò, quòd plura fuerunt legis veteris precepta, vt patet ex libris. Exod. Leuit. Numer. & Deuterono. in quibus traduntur, quamuis omnia tendebant ad

vnum finem, qui erat ſanctificatio illius populi, & ad præparationem, diſpoſitionem, & figurationem Chriſti futuri. Bergentius lib. 1. ſcrutinij ſcripturarum dicit, tot fuiſſe præcepta veteris legis, quot ſunt dies in anno. Alij autem exiſtimant fuiſſe in numero ſexcenta & tredecim: ita tenent Suarez & Lorca vt ſupra.

11 Difficultas ſolùm reſtat, ſi in veteri lege fuerunt alia præcepta, quæ non ad ſupradicta tria genera præceptorũ reducerentur: & particularis difficultas eſt de præceptis fidei, ſpei, & charitatis. Quidam affirmãt, prædicta præcepta reduci ad præcepta moralia, & in eis intrinſecè cõtineri. Sed veriùs dicendum erit, prædicta præcepta fidei, ſpei & charitatis ſupra legẽ veterem fuiſſe, & extra illam, neque in ea intrinſecè contineri. Sed aduertendum, quòd non negamus, nec negari poteſt, prædicta præcepta fuiſſe in illa lege, nam ſub præcepto fidei homines ſaluabantur in veteri lege, & naturali: ſolùm dicimus, præceptum illud præſuppoſitum eſſe in lege, & non fuiſſe proprium, & intrinſecum ipſius: fatemur, quòd in præcepto fidei homines ſaluabantur, ſed negamus tamen in illa lege includi: ita tenent Lorca, vt ſupra, & Medina cum alijs.

12 Non obſtant in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd lex vetus diſtinguitur à lege naturali, non tamen omnino ab ea aliena eſt, ſed tanquam ei aliquid ſuperaddens per poſitiuas declarationes, vel declarando, quod obſcuratum, & obtenebratum erat in iure naturali, prout ſæpè declaratum eſt, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum argumentum deſumptum ex auctoritate Diui Auguſtini, nam reſpondetur, quòd ſub præcepto vitæ agendæ non ſolùm continentur præcepta moralia, ſed etiam & præcepta iudicialia, nam vtraque perti-

pertinent ad directionem vitæ humanæ, & ſic vtraque continentur ſub vno membro diuiſionis, ſcilicet, ſub illo præcepto vitæ agendæ, & ſic nihil erit ſuperfluum, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli, nu. 1.

Proponuntur duo argumenta, nu. 2.

Conſtituitur concluſio, quòd lex vetus per aduentum Chriſti ceſſauit, nu. 3.

Varietas opinionum eſt in hac re, declaratur, & oſtenditur, num. 4.

Lex vetus ante mortem Chriſti abrogata non fuit, oſtenditur. nu. 5.

Lex vetus per mortẽ Chriſti ceſſauit, quoad cæremonialia, & iudicialia pręcepta, oſtenditur, nu. 6.

Varię ſunt opiniones, ſi illico poſt mortem Chriſti lex vetus extincta fuit, nu. 7.

Oſtenditur ſi lex vetus ſtatim, quòd mortua fuit, etiam mortifera erat, nu. 8.

Refertur opinio Hieronymi, nu. 9.

Refertur opinio Auguſtini, nu. 10.

Satisfit argumentis propoſitis, nu. 11.

ARTICVLVS. V.

1 *An lex vetus ceſſauerit per aduẽtum Chriſti.*

2. PRimò pro parte negatiua argumentor ſic. Lex vetus nunquam ceſſauit, ſed duratura eſt in æternũ, vt patet teſtimonio ſacræ Scripturæ, Exod. c. 30. & Leuitici, c. 16. & Baruc. c. 5. ait. *Hic eſt liber mandatorum*

Dei

Dei, & lex in æternum: ergo lex vetus per aduentũ Chriſti non ceſſauit.

Secundò. Lex vetus abrogata fuit à Ioanne Baptiſta, vt patet auctoritate Luc. c. 16. in qua habetur *Lex, & Prophetę, vſque ad* Ioannem : ergo non per aduentum Chriſti abrogata fuit.

Tertiò. Apoſtoli poſt mortem Chriſti vſi ſunt, & ſeruabant Legem veterem, nam Paulus circuncidit Timotheum, Acto. 16. & plura alia facta ſunt, vt patet quàm plurimis auctoritatibus ſacræ Scripturæ: ergo neque per aduentum, neque per mortem Chriſti lex vetus ceſſauit.

3 His non obſtantibus, concluſio eſt, *Lex vetus per aduentum Chriſti ceſſauit.*

Probatur concluſio auctoritate diuina, quæ diffinita, & determinata fuit in Concilio Apoſtolorum, Actor. 15. & D. Paulus conſtanter prædicat hoc ad Rom. ad Galat. ad Hebrę. pluribus verbis. Ad Roma. c. 6. *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Ad Hebręos, c. 8. ait. *Nouum teſtamentum veterauit priùs.* Ad Galat. 3. c. 24. hoc idē oſtendit. Et ratio clara eſt, nam fuit conſentaneum, quòd pro tempore ſolùm, & non in perpetuum data fuiſſet lex vetus, donec veniret plenitudo temporis, quæ fuit in lege gratiæ: ergo ea aduenientè ceſſare debuit. Tùm, quia lex vetus tota fuit diſpoſitio, vmbra, figura, & præparatio ad ipſum Chriſtum futurum: ergo eo adueniēte ceſſare debuit: ita tenent communiter Doctores. S. Tho. 1. 2. q. 103. art. 3. Suarez de lege veteri, cap. 11. Lorca diſputatio. 34. Sotus de iuſtit. & iur. lib. 2. q. 5. art. 4. Medina, Conradus, Vazquez dicto art. 3. Valentia tom. 2. de lege veteri, diſputatione 7. pun. 7 cum alijs.

4 Sed vt iſte articulus, qui difficillimus eſt, intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd in hac re

re explicanda eſt magna controuerſia inter Catholicos, hæreticos, & inter Iudæos, imò inter Sanctos Patres, inter Hieronymũ & Auguſtinum non eſt eadẽ ſententia, inter D. Tho. & Scotum magna eſt diſſenſio. Sed reiectis erroribus hæreticorũ, & Iudæorũ, qui volunt, prædictã legem ceſſaſſe in Ioanne Baptiſta, & Iudæi duraturã eſſe in æternũ, & fundabantur auctoritatibus in argumentis citatis, & reprobati ſunt, & contra eos pugnat Conciliũ Apoſtolorũ, & auctoritates D. Paul. nu. 3. ſupra citat. ſolùm reſtant controuerſiæ inter Catholicos, quæ videndæ ſunt.

5 Supponimus Secundò. Certiſsima, & cõſentanea ſententia eſt omnium Sanctorum Patrum, legem veterem abrogatam nõ fuiſſe ante mortem & paſsionem Chriſti. Et ratio clara eſt, nã licèt multa, aut ferè omnia præcepta legis veteris fuerint figura ipſius Chriſti: nihilominus, quia præcipuè erant figura mortis & paſsionis ipſius, & omnia, ſua paſsione & morte conſummanda erant, & tunc fuit facta translatio ſacerdotij, cùm Chriſtus in ara crucis obtulit ſe in hoſtiam Deo pro peccatis: ergo vſque ad paſsionem & mortem ipſius debuit perſeuerare. Tùm etiam, quia Chriſtus dum vixit, diligẽter legem veterem obſeruauit, & ab alijs eam obſeruari voluit, vt quàm pluримis auctoritatibus ſacræ Scripturæ patet, & tenent S. Tho. loco citato, art. 5. ad ſecũdum, & Doctores, vt ſupra.

6 Ex dictis, difficultates ſequentes inſurgunt. Prima eſt, an lex vetus per mortem Chriſti totaliter ceſſauerit, quoad omnia præcepta, moralia, cæremonialia, & iudicialia. Ad quam difficultatem breuiter dico, certiſsimum eſſe, legem veterem ceſſaſſe quoad præcepta cæremonialia & iudicialia tantùm, vt patet auctoritatibus ſupradictis, numer. 3. & ratio Diui Pauli ad Hebræ. capit. 7. clara eſt, nam cùm morte Chriſti tranſlatum fuit ſacerdotium,

& teſtamentum illius populi, conſequens erat, vt non ſolùm cæremoniæ, & ritus religionis, ſed etiam Reſpublica ipſa, quoad iudicialia pręcepta poſitiua diuina mutaretur. Præcepta autem moralia, quia illa ſunt iuris naturalis, nō ſunt abrogata, nec abrogari potuerunt, ex quo deducitur illud axioma Theologorum: ***Lex vetus ceſſauit, quoad cęremonialia, & indicialia pręcepta, non autem quoad moralia***: ita S. Thom. & Sotus vt ſupra.

7 Secunda difficultas eſt, an lex vetus poſt mortem Chriſti penitus mortua ſit. Ad hanc difficultatem breuiter dico, quòd in hoc diuerſæ ſunt ſententiæ Doctorum. Alij dicunt, quòd lex vetus per mortem Chriſti recepit læthale vulnus, ratione cuius ſtatim cæpit deſinere, & paulò poſt expirauit. Sotus vult, quòd expirauerit in Reſurrectione Chriſti, Scotus vſque ad diem Pentecoſtes. Alij poſt ſufficientem promulgationem Euangelij. Sanctus Thom. verò tenet, quòd poſt mortem Chriſti penitus mortua, & extincta fuit, tùm quoad obligationem, tùm quoad vtilitatem, & efficaciam: & ratio eſt, quia tunc in morte ipſius translatum fuit ſacerdotium & teſtamentum, ac ſolutum fuit pretium redemptionis, tunc velum templi ſciſſum fuit, cùm dixit: ***Conſummatum eſt***, & expirauit. Fulcitur hoc etiam auctoritatibus, & rationibus ſupracitatis, nu. 3. & tenent S. Thom. Medina, Conradus, vt ſupra, Vazquez diſputatione 181. Suarez cap. 3. & reliqui Doctores citatis.

8 Tertia difficultas alia eſt, an lex vetus ſtatim, quòd ceſſauit, & mortua fuit, fuit etiam tunc mortifera, id eſt, qui ea deinde vtebantur, peccabant mortaliter, & ratio iſtius dubitationis inſurgit ex contrarijs auctoritatibus, & exēplis ſacræ Scripturæ, nā ex vna parte apparet, quòd Apoſtoli eam obſeruabant poſt mortem Chriſti. Diuus Paulus.

Digitized by Google

lus enim circuncidit Timotheũ, & ſe ipſum purificauit. Diuus Petrus obſeruauit cæremonialia, vt in Act. Apoſt. c. 15. 16. & 21. è contra D. Paul. ad Galat. 2. c. 11. reprehendit Petrum, qui legalia poſt mortem Chriſti obſeruabat. Sed ad hanc difficultatem intelligendam, quæ fuit olim celeberrima, & grauiſsima inter Hieronymum & Augu-
8 ſtinum, referendæ ſunt opiniones eorum, nam Doctores ſcholaſtici diuiſi ſunt: alij enim vnum, & alij alium ſequuntur.

9 Diuus Hieronymus duplicẽ conſtituit temporis differentiam; vnam ante mortem Chriſti, alteram verò poſt mortem eius, & vult, quòd legalia ante mortem Chriſti obſeruari potuerant, poſt mortem verò ipſius, non ſolùm fuerunt mortua, ſed etiam mortifera, ita vt, qui illis vtebantur, vel miniſtrabant, mortaliter peccabant. Nec obſtat contra, hoc exemplum Apoſtolorum: nam reſpondebat ipſe Hieronymus, quòd Apoſtoli, qui legalia ſeruauerunt, non peccauerunt, quia id faciebant pia quadam ſimulatione, ne ſcandalizarentur Iudæi, & eorum conuerſationem impedirent. Et ſi Diuus Paulus reprehendit Petrum, hoc factum fuit ex conuentione, & pactione inter Petrum, & ipſum Paulum.

10 Diuus Auguſtinus conuenientiùs diſtinxit triplicem temporis differentiam, ſcilicet, legalia ante mortẽ Chriſti fuerunt viua, ſtatim poſt mortem Chriſti fuerunt mortua, ſed non mortifera: mortua dico, quia nullam habebant vim, nec efficaciam, neque aliquis tenebatur illa obſeruare, ſed non erant mortifera, id eſt, non peccabãt, qui illa obſeruabant, vt cum honore Synagoga ſepeliretur. Demùm poſt mortem Chriſti, & poſt promulgationem Euangelij ſufficienter, mortua non ſolùm fuerunt, ſed etiam mortifera. Et ſic Apoſtoli licitè obſeruauerunt

illa poſt mortem Chriſti, antequàm ſufficienter lex Euāgelij promulgata fuerit. Nec obſtat, ſi dicatur, ad quid ergo Paulus reprehendit Petrum? nam reſpondetur, quòd hoc factum fuit, non quia obſeruabat Diuus Petrus legalia prædicto tempore, in quo licitum erat; ſed quia in obſeruandis legalibus maximā diligentiam adhibebat, & ne ſcandalizaret Iudæos, ex qua diligentia nimia ſequebatur Gentilium ſcandalum: ita Sanctus Thomas, vt ſupra articulo quarto, quem ſequuntur Medina, & alij ſupra citati.

11 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd, cùm dicitur legē veterē duraturam eſſe in æternum, intelligitur hoc & loquuntur auctoritates ſacræ Scripturæ, quoad præcepta moralia, non autem quoad cæremonialia & iudicialia, vt declaratum fuit num. 6. & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum argumentum, nam reſpondetur, quòd lex vetus abrogata fuit in morte Chriſti, & dicitur in auctoritate citata, quòd lex & Prophetæ, vſque ad Ioannem, non quia tunc finiuit, ſed quia illa lex tunc cępit ægrotare, & ad mortem; nam tunc cępit prædicari Euangelium, quod erat inchoatio legis gratiæ, & ſoluitur ſecundum argumentum.

Non obſtat tertium, nam reſpondetur, quòd verum eſt, quòd Apoſtoli obſeruabant poſt mortem Chriſti legalia, quia tunc non erant prohibita, neque erant mortifera, prout ſupra, num. 10. cum Auguſtino dictum fuit, & ſoluitur argumentum, articulus, & diſputatio ſeptima.

DE

Digitized by Google

DE LEGE NOVA.

DISPVTATIO vltima.

IN QVATVOR Articulos diuiſa.

In præcedenti diſputatione, legem diuinam in veterem, & nouam partiti ſumus, & iam diximus de veteri. Sequitur, vt de noua dicamus, hæc enim, ſi æternam legem excipiamus, lex legũ eſt, cuius gratia mundus creatus fuit, ad quam ferendam, Deus ipſe de cælo deſcendit, quæque eiuſdem Dei digito ſcripta eſt in cordibus noſtris.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, nu. 1.
Proponuntur duo argumenta, nu. 2.
Oſtenditur cauſa efficiens nouæ legis, nu. 3.
Cauſa finalis dictæ nouæ legis oſtenditur, nu. 4.
Cauſa formalis illius oſtenditur, nu. 5.
Diuerſa nomina nouæ legis referuntur, nu. 6.
Quomodo lex noua dicatur lex ſcripta in cordibus oſtenditur, nu. 7.

Digitized by Google

Conſtituitur concluſio, & oſtenditur, quid lex noua contineat, nu. 8.

Satisfit argumentis propoſitis, nu. 9.

ARTICVLVS I.

1 *Vtrùm lex noua ſit lex à Deo ſcripta, an potiùs cordibus indita.*

2 PRo parte negatiua argumentor ſic. Lex naturę indita eſt, vt ait D. Paul ad Rom. c. 2. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Dñe.* Et alibi: *Naturaliter gentes, quæ legis ſunt faciunt, qui habent opus ſcriptum in cordibus ſuis*: Ergo ſi lex Euangelica, eſt lex indita, non differt à lege naturæ.

Secundò. Lex noua dicitur, & eſt lex Euangelica, ſed Euangelium ſcriptum eſt, vt ait Ioann. c. 20. *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis*: ergo lex noua, eſt lex ſcripta, & non cordibus indita.

3 Sed antequàm concluſionem conſtituamus, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, vt à cauſa efficienti incipiamus, legem nouam verè & propriè legem eſſe, & Chriſtum Dominum non ſolùm fuiſſe redemptorem, ſed etiam fuiſſe verè, & propriè Legiſlatorem illius, vt patet auctoritatibus diuinis. Iſai. c. 22. & 33. *Dominus iudex noſter, Dominus Legiſer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſaluabit nos*, vbi non loquitur Propheta de Deo tantùm, vt Deus eſt, ſed apertè de Deo homine, qui erat Chriſtus, vt ex litera prædicti capitis colligitur, & paſsim Chriſtus loquens de prædicta lege, ait: *Mandata mea ſeruate*: *ſi pręcepta mea ſeruaueritis: docete eos ſeruare omnia quęcumque mandaui vobis*. Et Ierem. c. 31. ait: *Ecce dies veniunt,*

dicit

Digitized by Google

dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum. Et infra, *Dabò legem meam in viſceribus eorum*, quam promiſsionem fuiſſe per Chriſtũ impletam, docuit Paulus ad Hebr. c. 8. & 10. ergo de fide eſt Chriſtum fuiſſe verum Redemptorem, verumque Legislatorem: & ita determinatum eſt contra hæreticos in Concil. Trident. Seſſ. 6. Can. 19. Et 21. & ratio colligi poteſt, quia ipſemet Chriſtus interrogatus à Pilato, reſpõdit. *Tu dicis, quia Rex ego ſum.* Ex quo infertur: ergo fuit quoque Chriſtus Legislator, nam omnis Rex ex vi ſui dominij, & poteſtatis eſt Legislator, ſed Chriſtus fuit perfectus Rex: ergo fuit etiam perfectiſsimus Legislator. Fulcitur ex cõſenſu ſanctorum Patrum Hieronymi, Cyrilli Alexandrini, Auguſtini, & aliorum, & tenent S. Thom. Conrad. 1. 2. q. 98. art. 3. Suarez lib. 10. c. 1. & à nobis dictũ fuit ſupra, diſp. 1. art. 2. nu. 7.

4 Supponimus Secundò, quòd in præſenti numero viſum eſt de cauſa efficienti nouæ legis: conſequenter dicendum eſt breuiter de cauſa finali. Cauſa finalis, ſeu finis vltimus iſtius legis, eſt, perducere hominem ad Regnum cælorum, prout præſertim, in lege hac promiſſum eſt, vt latè declarauit Paul. ad Hebræos, c. 9. Proximus autem finis iſtius legis eſt, perfecta ſanctificatio fidelium, per verum, & perfectum cultum Dei, & per applicationem meritorum, & ſanctificationem Chriſti, per media inſtrumenta Sacramentorum ab ipſo Deo, ad hũc finem conſtituta, vt conſtat ex dictis, & patebit ex dicendis infra, & tenet Suarez de legib. lib. 10. c. 2.

5 Supponimus tertiò, quòd explicata cauſa efficienti, & finali nouæ legis, explicanda eſt nũc cauſa formalis illius, quæ conſiſtit in aliquo ſigno ſufficienti, promulgante in noua lege hominibus Dei & Chriſti volũtatem: ſed illicò diffi-

difficultas inſurgit, quale debet eſſe hoc ſignum, quo oſtēditur voluntas Dei, ſi debet eſſe ſenſibile permanēs, vel ſpirituale & tranſiens. Et ratio difficultatis eſt, nam ex vna parte apparet, quòd iſtud ſignum debet eſſe ſenſibile permanens in ſcriptis, nam iſta lex hominibus viatoribus dabatur in corpore mortali viuentibus & ſenſibus vtentibus. Tùm ſecundò, quia lex hæc ſtabilis & permanens eſſe debuit: ergo debuit per ſignum ſenſibile & fixum inſtitui & ſcribi, quale eſt ſcriptura & non in cordibus, nec per verbum vocale tranſiens. Tùm tertiò, quia lex hæc tradita fuit à Chriſto, vt in Eccleſia ſua perpetuò duraret: præcepta autem ſolo verbo tradita, niſi permanēti modo ſcribātur, cito tranſibunt, ſi ſoli hominum memoriæ cōmendētur. Quod cōfirmatur ex vſu ipſo, nam propter hoc Deus prouidit, vt Euangelica præcepta in nouo teſtamento ſcriberentur. Ex altera contraria parte apparet, quòd ſignum iſtud, ſpirituale eſſe debuit, vt ait Ieremias c. 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam*, quod ponderat Paulus ad Hebræos, c. 8. & 10. dum dicit, hanc eſſe prærogatiuam noui teſtamenti, in qua exceſsit teſtamentum antiquum: quia hæc lex & teſtamentum nouum, non eſt ſcriptum, vel traditum ſigno ſenſibili, ſicut lex antiqua. Et confirmatur, quia Chriſtus huius legis auctor illam non ſcripſit externa, & materiali ſcriptura, ſicut lex antiqua ſcripta fuit; ergo ſignum eſt, legem hanc exarari non debuiſſe, vt ait. S. Thom. 3. p q. 41. art. 4. Et multo tempore durauit & obligauit lex hæc magnam orbis partem, antea quàm ſcriberetur, vt ait Chryſoſtomus homil. 1. ſuper Matthæ. quæ ſcripta fuit à Matthæo, octauo anno poſt paſsionem Chriſti, & fuit primus inter Euangeliſtas ad ſcribendum Euangelia, cæteros libros & Epiſtolas noui teſta-

teſtamenti poſt illum annum octauum ſcripſerunt occaſionem nacti ſcribendi vitam Chriſti Spiritu ſancto dictante, vt arma darentur Eccleſiæ contra hæreticos, qui futuri erant, vt ait Theophil. in præfatione ad Matthæū. Nec obſtat ſi dicatur, quòd lex hæc, verbo ſenſibili, & vocali data fuit à Chriſto, nam reſpondetur, quòd hoc factum fuit, quia non poterat alio modo indicari hominibus, ſecundùm ordinariam poteſtatem Dei: & verbum illud fuit tantùm quaſi inſtrumentum ad ſcribendum hanc legem ſpiritualiter in mentibus, & cordibus hominum.

6 Aduertendum quartò, & anteaquàm ad difficultatem propoſitam per concluſionē reſpondeamus, ſciendum eſt, quòd in Scriptura ſacra varijs nominibus nuncupatur hæc lex, ad notandum excellentiam illius. Nam interdum à Paulo vocatur *Lex libertatis*, interdum, *lex noua*, *lex Chriſti*, *lex fidei*, *lex Spiritus vitæ*, *lex gratiæ*, *lex amoris*, *lex ſcripta in cordibus hominum*, ad oſtendendum præcipuè, quòd id, quod primò, & principaliter datur per hanc legem, eſt gratia Spiritus ſancti in cordibus fidelium, nam voluit Chriſtus potiùs in iſta lege Euangelica, quàm in alijs mouere homines ad benè operandum interna gratia, & auxilio Spiritus Sancti: & propter hoc vocatur lex gratiæ, lex amoris, lex in cordibus ſcripta. Secundariò in ea etiam lege continentur quædam alia præcepta ſcripta, vt infra patebit.

Quintò, ad intelligendum, quomodo gratia Spiritus ſancti poſsit dici lex in cordibus ſcripta, ſciendū eſt, quòd lex dupliciter dici poteſt: vno modo dicitur lex regula illa practicæ rationis dirigentis intellectum ad bonum proſequendum, & malum fugiendum. Alio modo

dicitur etiam lex, inclinatio, ſeu propenſio appetitus ad aliquid faciendũ, vel fugiendũ, quo pacto concupiſcentia ſenſualis lex fomitis nuncupatur, & eodẽ modo inclinatio creaturarũ irrationabiliũ ad appetendũ, vel fugiendũ quæ ſibi conueniant, lex nuncupatur. prout ſupra diſputatione 4. art. 1. num. 4 dictum fuit. Differt autem ſecunda acceptio legis à prima, nam prima, intellectum dumtaxat illuſtrat. Secunda acceptio corroborat, non ſolùm appetitum, ſeu voluntatem, ad aliquid agendum, vel vitandum: ſed etiam, ſuppeditat nobis vires, vt quæ per intellectum bona eſſe cognoſcimus, per voluntatem proſequamur, & ſic gratia Spiritus ſancti, quæ infunditur principaliter in lege noua in cordibus noſtris, habet rationẽ legis, in quantum inclinat, mouens voluntatem, dat robur, & vires ad aliquod bonum faciendum, vel malum vitandum.

8 Quibus ſuppoſitis concluſio eſt reſponſiua difficultatis. *Lex noua duo continet principaliter: continet ipſam gratiam Spiritus ſancti, quę datur in cordibus noſtris: ſecundariò continet ipſa lex noua, quædam præcepta ſcripta ſigno ſenſibili.*

Probatur hæc concluſio quoad primam partem auctoritatibus ſacræ ſcripturæ, Hierem. c. 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum: & in cordibus eorum ſcribam eam.* Et D. Pauli ad Hebræos, c. 8. & 10. Ergo lex noua, quæ conſiſtit principaliter in ipſa gratia Spiritus ſancti, quæ datur per fidem Chriſti, ſpiritualiter in cordibus indita eſt. Probatur etiam concluſio, quoad ſecundam partem, auctoritate Ioannis c. 20. *Hęc autem ſcripta ſunt, vt credatis:* ergo quatenus ſecundariò lex noua continet quædam præcepta ſcripta, debuit eſſe, vt fideles inſtruerẽtur verbis, & ſcriptis, tùm circa agenda, tùm circa credenda:

ergo

Digitized by Google

ergo principaliter dicendum eſt, prædictam legem nouam fuiſſe inditam, & ſcriptam: ita Sanct. Thom. Medina, & Vazquez 1. 2. q. 106. artic. 1. Suarez de legibus lib. 10. cap. 13. Sotus de iuſtitia & iure, lib. 2. q. 7. art. 1. cum alijs.

9 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum deſumptum ex auctoritate D. Pauli ad Rom. c. 2. Nam reſpondetur multipliciter. Primò, quòd dupliciter poterit eſſe aliquid inditum hominibus: vno modo, vt pertinet ad naturam humanam, & ſic lex naturalis, lex eſt indita hominibus: alio modo aliquid eſt inditũ, quaſi ſuperadditum, & hoc modo lex noua indita eſt. Vel reſpondetur ſecundò, quòd lex noua non ſolùm indita eſt, ſed ſcripta, vt ſciamus diſcernere inter honeſtum, & inhoneſtum, ſed etiam ſuperſcripta eſt cordibus noſtris, vt quod faciendum nouimus per intellectum, amemus, & diligamus, & ad id moueamur per voluntatem: & ſic ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd lex noua, quatenus continet gratiam Spiritus ſancti, qui inclinat, & dat vires ad legem obſeruandam, quod eſt principalius in ea, nuncupatur lex indita: quatenus autẽ continet quædam præcepta, & conſilia, non inconueniens eſt, quòd exteriùs lata fuerit, & ſcripta dicatur, vt tenet Sanctus Thomas, vt ſupra, & num. 7. dictum fuit. & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, n. 1.
Proponuntur duo argumenta, n. 2.
Conſtituitur concluſio, ſcilicet, lex noua non debuit dari à principio mundi, nu. 3.

Declaratur concluſio propoſita, nu. 4.
Quo tempore lex noua obligare cœpit oſtenditur, nu. 5.
Satisfit argumentis propoſitis, nu. 6.

ARTICVLVS II.

Vtrùm lex noua debuit dari à principio mundi, & duratura ſit vſque ad finem ſæculi.

2 PRo parte negatiua contra primam partem argumentor ſic. Non eſt perſonarum acceptio apud Deum, vt ait Paulus ad Roman. cap. 2. ſed omnes peccauerunt in primo parente: ergo eguerunt lege, & gratia Dei à principio mundi. Secundò. Magis eſt neceſſaria hominibus ſalus ſpiritualis, quæ eſt æterna, quàm ſalus corporalis, quæ eſt temporalis, ſed Deus ab initio mundi prouidit hominibus ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem corporalem, vt patet Geneſ. cap. 1. Ergo etiam debuit hominibus, à principio mundi, dare legem nouam, quæ maximè eſt neceſſaria ad ſalutem ſpiritualem.

3 His non obſtantibus, concluſio eſt. *Lex noua non debuit dari à principio mundi, quę tamen duratura eſt vſque ad finem ſæculi.*

Probatur concluſio primò, quoad primam partem à Sanct. Thom. tribus rationibus. Primò, quia lex noua principaliter continet gratiam Spiritus ſancti, quæ abundanter dari non debuit, antea quàm impedimentum peccati ab humano genere tolleretur per conſummatam Redemptionem Chriſti. Secundò, quia lex noua eſt lex gratiæ, & ideo oportuit, quòd homo relinqueretur primò

Digitized by Google

mò in ſtatu legis naturæ, & in ſtatu legis ſcriptæ, & poſt tot ſæcula in peccati lapſu, vt ſuam infirmitatem cognoſceret, & clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium, quod abundanter datur in noua lege. Probatur etiam concluſio, quoad ſecundam partem, nam ideo lex Euangelica ſucceſsit legi veteri, quia perfectior illa fuit, & nulla alia poterit eſſe in hoc mundo præſtantior illa, cùm propinquior ſit fini vltimo, ad quem lex noua immediatè introducit, & ſic mutari non poteſt in aliam, quæ ſit melior, & propter hoc duratura eſt vſque ad finem ſæculi: ita Sanct. Thom. & Medina 1.2. quæſtione 107. ar. 3. & 4. Sot. de iuſtitia & iure lib. 1. quæſt. 7. ar. 3. & 4. Valentia de lege diuina, diſputatione 7. q. 8. p. 1. Suarez de legib. lib. 10. c. 4. cum alijs.

4 Sed vt iſte articulus intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt: & primum erit, quòd quæſitum iſtius articuli pendet ex illo articulo, in quo diſputat S. Thom. 3. p. q. 1. art. 5. Vtrùm conueniens fuerit, Deum incarnari in principio mundi, vel aliter ſenſus iſtius quæſtionis poterit eſſe, vtrùm debuerit lex noua dari ante Chriſti aduentum, & eius Redemptionem: & in hoc ſenſu reſponſum eſt in ſupradicta concluſione, non decuiſſe prædictis rationibus adductis: ſed aduertendum, quod loquimur de lege noua, non ſolùm de eo, quod ſecundarium in ea eſt, ſcilicèt, de præceptis, & conſilijs ſcriptis, ſed etiam de eo, quod principaliter ad illam ſpectat, videlicet, de gratia Spiritus ſancti, quæ datur in ea: ita Sotus, & Doctores, vt ſupra.

5 Supponimus ſecundò, pro reſolutione difficultatis, quæ oritur ex eo, quod dictum eſt, legem hanc dari non debuiſſe ab initio, hoc eſt tempore legis naturæ, neque legis ſcriptæ, ſed poſt mortem Chriſti. Difficultas eſt

modò, quo tempore poſt mortem Chriſti, lex noua cępit obligare fideles. Ad quam difficultatem, licèt in diſputatione præcedenti reſponſum fuerit aliquo modo, tamen breuiter dicimus in præſenti, quòd in hoc ſunt tres opiniones. Alij dicunt, legem nouam non cæpiſſe obligare niſi poſt Pentecoſtem: ita Sotus, Gabriel, Capreolus, & alij. Alij verò, quòd cæpit obligare in puncto Reſurrectionis Chriſti: ita Sotus lib. 2. de iuſtitia & iure, q. 5. art 4. Alij tandem probabiliùs, & communiùs, dixerunt, legem nouam cępiſſe obligare in ipſo puncto mortis Chriſti, nam tunc lex vetus ceſſauit, velum templi ſciſſum fuit, tunc fuit teſtamentum nouum conſummatũ pactũ & fœdus confirmatũ poſt mortẽ teſtatoris: ergo in eo puncto obligauit, vt ait Paul. ad Hebr. c. 7. Trãslato ſacerdotio, trãslatio legis fieri debuit, ne daretur quòd homines fuiſſent aliquo tempore ſine lege Dei poſitiua, qua obligarentur, vt ait Sanct. Thom. q. 103. art. 3. Sed aduertendum, quòd multi poſt ipſam mortem Chriſti excuſabantur ignorantia inuincibili, vſque ad ſufficientem promulgationem illius legis: vel niſi fortaſſe dicamus, quòd cæpit obligare poſt mortem Chriſti, quod moraliter intelligendum erit, poſt ſufficientem promulgationem, & non phyſicè, vt volunt aliqui recentiores: ita Gregorius de Valentia, vt ſupra, & Suarez, cap. 4. cum alijs.

6 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum; nam reſpondetur, quòd humanum genus, poſt peccatum primi parentis meruit priuari auxilio gratiæ, & ideo quibuſcunque datur hoc, non eſt ex iuſtitia, ſed ex gratia, & ex gratuito dono, in quo non poteſt eſſe acceptio perſonarum, vt in ſecundo libro patebit. Et ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd ea, quę

per-

Digitized by Google

pertinent ad ſalutem corporis, deſeruiunt hominibus quantùm ad naturam, quæ non tollitur per peccatum: ſed ea, quæ pertinent ad ſpiritualem ſalutem, & gratiam, amittuntur per peccatum, & ſic non valet ſimilitudo: & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli, nu. 1.
Proponuntur duo argumenta, nu. 2.
Conſtituitur concluſio, ſcilicet, lex noua non prorſus eſt alia à lege antiqua, nec omnino eadem, oſtenditur, nu. 3.
Referuntur illa duo, in qua lex noua conſiſtit, nu. 4.
Excellentia legis nouæ reſpectu veteris: primò ex ipſa gratia deſumitur, nu. 5.
Excellentia nouæ legis reſpectu veteris colligitur ſecundò, ex præceptis in ea contentis, & alijs cauſis, oſtenditur, numer. 6.
Declaratur, quòd lex vetus fuerit lex ſeruorum, & non filiorum, nu. 7.
Satisfit argumentis propoſitis, nu. 8.

ARTICVLVS. III.

1 *Vtrùm lex noua ſit alia à lege veteri.*

2 PRo parte negatiua argumẽtor ſic: In vtraque lege datur fides Dei, nam ſine ea impoſsibile eſt placere Deo, vt ait Paulus ad Hebræos. c. 11. ſed eadem fides eſt antiquorum, & modernorum, vt ait gloſſ. ſuper Matth. c. 12. ergo eadem eſt lex noua, & vetus.

Secundò

Secundò, D. Auguſtinus contra Fauſtum conſtituens differentiam inter legem nouam & veterem, dicit, quòd lex vetus promittebat tẽporalia præmia; noua verò ſpiritualia & æterna, ſed in noua lege promittuntur aliqua promiſſa temporalia, ſecundùm illud Marci c. 10. & in veteri etiam ſperabantur promiſſa ſpiritualia & æterna, ſecundùm illud ad Hebræos c. 11. ergo lex noua non differt à veteri.

3 His argumentis non obſtantibus, concluſio eſt, *Lex noua nec prorſus eſt alia à lege antiqua, neque omnino eadẽ, ſed differt ab illa, vt perfectum ab imperfecto.*

Probatur concluſio, nam vtraque lex ad eumdem finem dirigit, ſcilicet ad dirigendos homines ad Deum: ergo reſpectu finis eadem ſunt, & non differunt. Differũt autem, ſicut perfectum & imperfectum, nam perfectiori modo dirigit lex noua ad prædictum finem, quàm lex vetus, vt ait Paulus ad Hebræos, c. 7. 8. & 9. ad Roman. c. 3. ad Galat. c. 3. & Ierem. c. 31. & tenent S. Thom. & Medina 1. 2. q. 107. art. 1. Sot. de iuſt. & iur. lib. 2. q. 1. artic. 1. & q. 8. art. 1. Vazquez diſputatione 183. Suarez de legib. lib. 10. c. 8. Lorca diſput. 36 cum alijs.

4 Sed vt iſte articulus intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt; Primò ſupponimus, vt veram differentiam inter legem nouam & veterẽ conſtituamus, neceſſe eſſe, doctrinam, quam tradidimus artic. 1. nu. 5. in præſenti referre, vbi diuiſa fuit lex noua in ſcriptam, quæ continet præcepta & conſilia, & in legem inditam cordibus, quæ continet gratiam Spiritus Sancti, quæ gratia præcipuè, & principaliter vocatur lex noua. Quæ duo etiam data fuerunt hominibus tempore legis veteris & propter hoc, vt rectè fiat comparatio inter prædictas duas leges, oportet iſtas duas partes cum proprietate inter ſe comparare.

Dico

5 Dico ergo primò, quod illa pars legis nouæ, quæ indita eſt in cordibus noſtris longe ſuperat ſtatum legis veteris, etiam quantùm ad gratiam, quæ ad illam impellendam dabatur. Et primò oſtenditur excellentia, nam lex noua habuit gratiam à ſuo proximo Legislatore Chriſto, qui ſimul fuit Redemptor, & Legislator, quam prærogatiuam non habuit lex vetus data per Moyſem, vt ſupra, artic. 1. nu. 3. oſtenſum eſt. Secundò quia in lege noua auxilium gratiæ abundantiùs, & copioſiùs dabatur, quàm cōmuniter fiebat ante Redemptionē per Chriſtū factam. Dico cōmuniter, ad oſtendendam aliquam prærogatiuam ſpecialem, quæ facta fuit aliquibus ſanctis Patribus, qui fuerunt in illo ſtatu. Tertiò, quia in noua lege confertur gratia, non ſolùm ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato, & non vno tantùm modo, ſed per ſeptem Sacramenta: in lege autem veteri nulla gratia dabatur ex opere operato, vt dictum fuit, diſputat. 7. art. 2. nu. 5. & ſi aliqua dabatur, erat in vno tantùm Sacramento, & ſolùm pro paruulis ad ſubueniendum ex generali prouidentia Dei vrgenti neceſsitati illorum. Quartò, etiam ſecundùm aliquos, agnoſcitur excellentia nouæ legis, nam lex noua conſtituit abſolutè, & ſimpliciter filios adoptiuos Dei; vt ait Paulus ad Roman. cap. 8. & ad Galat. cap. 4. In veteri autem lege iuſti propriè non merebantur nomen filiorum, nam erant in ſtatu ſeruorum propter onera, & imperfectionem illius legis, & quia ducebantur ſpiritu timoris, qui eſt ſeruorum potiùs, quàm filiorum. Tùm denique, quia gratia tunc non introducebat in Regnum cælorum, neque aperiebat ianuam cæli, quod ſolùm factum fuit in noua lege: ita tenent Doctores, vt ſupra.

6 **Supponimus ſecundò. Ex quo oſtenſum eſt diſcrimen**

inter legem nouam & veterem, nec non excellentiā nouæ legis in illa parte, quatenus indita eſt in cordibus hominum, videnda eſt modò differentia inter prędictas leges ex alia parte, quatenus continet præcepta & documenta ſcripta, & in his etiam noua lex longè perfectior quoque veteri eſt. Quod conſtat multipliciter Primò reſpectu cauſæ finalis, quia licèt vtraque lex ordinauerit homines ad fœlicitatem æternam, lex noua immediatiùs, pleniùs & efficaciùs id facit, nam tota eſt ſpiritualis & dirigit ad vitam ſpiritualem: lex vetus intendebat circa multa, magna ex parte circa temporalia, & intendebat circa pacem & fœlicitatem reipublicæ. Secundò, cognoſcitur excellentia ex parte cauſæ efficientis, nam lex vetus per Moiſen, noua per Deum hominibus data eſt. Tertiò, reſpectu cauſæ materialis, id eſt ex rebus traditis, & præceptis in ea, nam ſi conſideramus materiam fidei, longò perfectior eſt fides in hac lege præcepta, nam in ea ſunt reuelata profundiſsima Dei myſteria, tam vt Deus, quàm vt homo eſt: in veteri tantùm pauciora & implicitè reuelata ſunt. Quartò excedit lex noua ex parte formæ, quia non eſt ſcripta in lapidibus, ſicut lex vetus, ſed in cordibus hominum. Quintò excedit in ſuauitate, & in modo inducendi ſubditos ad ſui obſeruationem, nam lex vetus erat valde grauis, & inducebat per timorem nimis ſeruilem; lex noua per amorem filialem homines inducit. Sextò excedit in vniuerſalitate, nam lex vetus pro ſolo populo Hebraico data fuit, noua verò pro omnibus hominibus & vniuerſo orbe. Septimò excedit reſpectu immutabilitatis, ac perpetuitatis: nam noua duratura eſt vſq; ad finem ſæculi; vetus ceſſauit per mortem Chriſti. Octauò excedit, nam lex noua

Digitized by Google

noua eſt veritas ipſa figurata, & eſt finis legis veteris: lex verò vetus fuit figura, vmbra, diſpoſitio legis nouæ: ita tenent Doctores loco citato.

7 Supponimus tertiò pro reſolutione difficultatis, quæ ex dictis oritur, ſcilicet; ſi lex vetus fuit lex ſeruorum & non filiorum, ſequitur ex hoc, iudæos non potuiſſe ſaluari, nam ſerui nunquam adeunt hæreditatem, ſed ſoli filij: nam reſpondetur ad hoc, quòd Iudæi non erant propriè ſerui, ſed potiùs in ſtatu ſeruorum pro illo tempore in illa lege, vnde rectè infertur, quòd in illo tempore non poterant conſequi vitam æternam, nam regnum cœlorum clauſum erat in illa lege, donec aduenirct noua lex, veruntamen poterant adoptari tunc in filios cum hac conditione, vt cùm Chriſtus aperuiſſet ſua morte regnum cœlorum, adirent tunc hæreditatem æternæ gloriæ. Et ſicut filius habet duplicem ſtatum, vnum ſeruitutis, quando eſt ſub tutoribus & curatoribus, alterum libertatis, quando eſt ſui iuris: ita & Sancti Patres & electi Dei in antiqua lege habuerunt duplicem ſtatum, vnum ſeruitutis in veteri teſtamento & alterum libertatis in nouo teſtamento, in quo aperta fuit ianua cœli, vt ait Paul. ad Galat. c. 23. & ad Galat. 4. c. 1. & c. 22.

8 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, quòd licèt eadem fides fuerit in antiqua & noua lege, non fuit tamen idem ſtatus, nam in veteri lege fides erat de Chriſto futuro: in noua autẽ lege de Chriſto præſente, & ſic ſoluitur primũ argumentũ.

Non obſtat ſecundum, ex auctoritate Auguſtini, nam reſpondetur, quòd præcepta inquacunq; lege dãtur perfectis & imperfectis, & aliter inclinãtur imperfecti ad ea, qui nondũ habẽt virtutis habitũ, quàm perfecti in veteri

Digitized by Google

lege, quia erant homines illi imperfecti, & inclinabantur ad virtutem ex aliqua cauſa intrinſeca principaliter, putà ex comminatione pœnarum, vel ex aliquo præmio honoris, vel aliquo huiuſmodi: in noua autem lege, quia homines ſunt in ſtatu perfectionis, inclinantur ad virtutem per amorem principaliter, ſed quia ſunt etiam mali, & carnales, & non inconueniens eſt, quòd ſecundariò inducantur illi ad virtutem timore pœnarum, vel præmio: & ſic ſoluitur argumentum, & artic.

SVMMARIVM.

PRoponitur quęſitum articuli, nu. 1.

Proponuntur duo argumenta, nu. 2.

Conſtituitur concluſio. In lege noua tantùm tria genera pręceptorum inſtituta ſunt, fidei, Sacramentorum & moralium, oſtenditur nu. 3.

Lex noua efficacior, & pręſtantior eſt lege veteri, oſtenditur, nu. 4.

Cauſa materialis legis nouę oſtenditur nu. 5.

Cur in noua lege non inſtituta fuerunt pręcepta cęremonialia, & iudicialia, ſicut in antiqua lege oſtenditur, nu. 6.

Pręceptum fidei, quod in noua lege pręcipitur, oſtenditur, nu. 7.

Pręcepta Sacramentorum, quę in dicta lege inſtituuntur, oſtenditur, nu. 8.

Præcepta moralia nouæ legis, oſtenduntur, nu. 9.

Lex noua non ſolùm actus exteriores, verùm & interiores cordis pręcepit, nu. 10.

In noua lege etiam continentur plura conſilia, oſtenditur, nu. 11.

Satisfit argumentis propoſitis, nu. 12.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS. IIII.

1 *Vtrùm conuenienter in lege noua tantùm tria genera præceptorum fidei, Sacramentorum, & moralium instituta fuerint.*

2 PRimò pro parte negatiua argumentor ſic. In veteri lege non ſolùm fuerunt Sacramenta, ſed etiam plura Sacramentalia, ſed in lege noua licèt inſtituantur à Chriſto ſeptem Sacramenta, & ſacrificium, nullum tamen Sacramentale ab eo inſtitutum fuit, quod pertineret ad ſanctificationem templi, vaſorum, ſeu ad aliquam ſolemnitatem celebrandam: ergo lex noua à Chriſto non ſufficienter inſtituta fuit.

Secundò, in veteri lege præter præcepta moralia, & Sacramenta, fuerunt quædam alia præcepta iudicialia, ſed in lege noua de eis non tractatur: ergo diminuta eſt.

3 His & alijs omiſsis non obſtantibus, concluſio eſt. *Conuenienter in lege noua tantùm tria genera præceptorum fidei, Sacramentorum, & moralium instituta ſunt.*

Probatur hæc concluſio, quia lex noua illa tantũ præcepta exteriora inſtituere debuit, præcipiendo, vel prohibendo, quæ tantùm neceſſaria ſunt, vt ad gratiam introducamur, vel quæ pertinent ad rectum gratiæ vſum, ſed iſta ſunt præcipuè tria ſupradicta: ergo conuenienter in lege noua illa inſtituta ſunt: ita tenet Sanctus Thom. 1. 2. q. 108. artic. 1. & 2. & eodem lib. 4. artic. 13. quem ſequitur Medina in dict. artic. 1. & 2. Sotus de iuſtitia & iur. lib 2. quæſtione 9. artic. 1. Valentia tom. 2. de lege noua, diſpu-

tatione 7. part. 2. Suarez de legibus, lib. 10. cap. 2. cum alijs.

4 Sed vt iſte articulus intelligatur, qui altiſsimus eſt, nam in eo oſtenditur, & Dei prudentia, & benignitas in condendo legem Euangelicam, nec non agitur in eo de materia, & de his, quæ continentur in lege noua: propter hoc primò ſciendum eſt & recolenda ſunt, quæ in ſuperioribus diximus, quòd lex Euãgelica non ſolùm altior eſt, quàm humana, quæ non ad finem tantùm naturalem, ſed ad ſupernaturalem nos inſtituit, & introducit: verùm etiam & præſtantior eſt lege veteri, nam fides, & gratia, quæ in illa per paſsionem Chriſti futuri præfigurabatur, ex iſta lege exiuit, & ad id principaliter inſtituitur, ac proinde in ea tantùm à Deo illa præcepta ſtabilita ſunt, quæ ad ipſam gratiam introducendam nobis, vel ad vſum illius neceſſaria ſunt. Vnde dicitur lex fidei, & lex gratiæ, propter determinationem articulorũ fidei, & efficaciam ſacramentorum, quæ conferunt, & continent gratiam.

5 Sciendum eſt ſecundò, quòd in præcedenti diſputatione in art. 1. nu. 3. 4. & 5. viſum fuit de cauſis legis nouę, ſcilicet, de efficiẽti, formali, & finali: ſolùm ſupereſt, quòd in præſenti dicamus de cauſa materiali, vt cum alijs ſupradictis natura, & ſubſtantia legis nouæ optimè intelligatur: quæ verò ad materiam iſtius legis pertinent, & in ea continentur, ſunt præcipuè illa tria ſupradicta, videlicet, præcepta moralia, ſacramenta cũ ſacrificio, & pręcepta fidei, quæ à Deo præcipiũtur & cõtraria prohibentur.

6 Sciendum eſt tertiò; quòd in hac lege noua non fuerunt à Chriſto inſtituta præcepta ſacramentalia, ſeu cæremonialia, quæ ad Dei cultum & ad ſacramentorum venerationem expedirentur, prout inſtituta fuerunt in veteri lege. Neque etiam agitur in ea de præceptis iudiciali-

cialibus, quæ in ordine ad proximũ neceſſaria ſunt, quia prædictæ determinationes particulares & poſitiuæ non ſunt ſecundùm ſe de neceſsitate interioris gratiæ, in qua lex noua principaliter conſiſtit; ideo ea non fuerunt inſtituta à Chriſto, ſed ab eo relicta ſunt, vt conſtituantur authoritate ſua à Vicarijs ſuis, & humano arbitrio vt a ſuperioribus eccleſiaſticis, vel temporalibus conſtituantur. Nec decuit, quòd prædictæ determinationes particulares & poſitiuæ in lege iſta à Deo determinarentur, prout factum fuit in lege veteri, in qua multa in particulari præcepta ſunt, & vt ferè nihil liberè ex prædictis determinationibus ſubditis relicta fuerint. Nam iſta lex noua ideo dicitur lex libertatis, quia tantùm determinat, quæ neceſſaria ſunt ad gratiam in nobis introducendam, vt dictum eſt, reliqua verò liberè ab hominibus determinanda prætermittuntur, ita S. Thom. vt ſupra art. 1. & 2. cum alijs & quodlib. citato.

7 Sciendum eſt quartò, vt meliùs pateant ſupradicta de ſingulis præceptis in noua lege dicendum erit, ſed non poſſumus nunc de illis perfectè & ex profeſſo dicere, nam oporteret multa ex diuerſis materijs inuoluere: ſolùm breuiter, neceſſaria attingemus. Et primò circa præcepta fidei, quæ in noua lege præcipiuntur, duo aduertenda ſunt, vnum eſt reuelatio credendorum, & alterum eſt obligatio ad credendum ea, quæ reuelata & propoſita nobis ſunt, vt patet Matth. cap. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit*, & Ioann. capit. 8. & 24. *Si non credideritis quia ego ſum, moriemini*, & vnumquodq; prædictorum ſemper fuit in omni lege diuina ad ſalutem neceſſarium, *Nam ſine fide*, vt ait Paul. *impoſsibile eſt placere Deo.* Differentia verò, quæ inter legem hanc nouam & antiquiores eſt, quòd expreſsior

& de-

& de pluribus myſterijs fidei facta eſt reuelatio nobis in lege noua, quàm in lege veteri, vel naturæ. Ex quo factum eſt, quòd in lege noua currit obligatio ad credendum plura myſteria ſupernaturalia explicitè, præſertim Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis, quæ in veteri Teſtamento erant obſcura implicita, & imperfectè cognita in nouo expreſsè, & perfectè reuelata ſunt: ita Doctores, vt ſupra.

8 Sciendum eſt quintò, quòd in noua lege Chriſtus, vt auctor gratiæ, per ſe inſtituit ſeptem Sacramenta, quæ maximè neceſſaria fuerunt, vt gratia ipſius, in qua lex noua principaliter conſiſtit, per ea nobis communicaretur, de qua gratia, prius ipſe Chriſtus ſecundùm humanitatem plenus fuit à Deo, & deinde ad nos eſt deriuata, vt ait Ioann. cap. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*: & infra, *de plenitudine eius omnes nos accepimus*, quã n ſupernaturaliter per ſeptem Sacramenta prędicta ab eo ad hunc finem inſtituta, nobis proportionabiliter, cum pondere, & menſura communicauit, & applicuit, vt copioſius in Academijs Valliſoleti, dum Sacramenta in genere, & in ſpecie docuimus, hoc à nobis dictum fuit, & tenent modò in præſenti S. Thom Sotus, & Doctores ſupra citati.

9 De moralibus præceptis breuiter dico primò, quòd nihil Chriſtus præcepit, vel addidit circa ea in noua lege, quòd nõ eſſet de iure naturali, & ſic indiuiſibilitas matrimonij, quæ præcipitur in ea, de iure naturali eſt: dilectio inimicorum, præceptum orationis, præcepta non iurandi, & ſimilia, quæ in noua lege reperiuntur, de iure naturali ſunt. Dico ſecundò, in explicatione præceptorũ moralium, in noua lege multa Chriſtum oſtendiſſe, quæ ad perfectam illorum declarationem vtiliſsima ſunt, quæ de

iure

Digitized by Google

iure naturali erant, ſed per ignorantiam, vel per malos habitus hominum latebant. Dico tertiò, quòd Chriſtus præcepta moralia, quæ erant in lege veteri, non ſolùm, in lege noua illa inſtituit, imo & proprijs legibus, & præceptis ſuis ea commendauit, vt conſtat plurimis auctoritatibus ſacræ Scripturæ, Matth. c. 5. & 7. Ioann. c. 13. & 14. Paul. ad Galat. c. 6. & ad Rom. c. 1. & 3. & ita conſentàneum fuit perfectioni legis nouæ, nam ſicut lex vetus penitus ceſſauit, debuit lex noua præcepta moralia, quatenus per ſe bona ſunt, & ad mores neceſſaria, illa præcipere, & conſequenter maiorem obligationem, quàm antea in eis imponere: ita Doctores vt ſupra.

10 Aduertendum eſt tamen, Chriſtum in noua lege, non ſolùm diſpoſuiſſe quoad exteriores hominum actus, per ſupradicta præcepta fidei Sacramentorum & moralium, vt oſtenſum eſt: verùm etiam, & ſufficienter diſpoſuit de interioribus, vt ſic abſtineant homines, non ſolùm ab exterioribus operibus ſecundùm ſe malis, ſed etiam ab interioribus, & occultis cogitationibus cordis & oculorum: & ratio fuit, quia erat lex iſta noua ſpiritualis, & perfecta, propter hoc diſpoſuit, & ordinauit, non ſolùm in quantũ principaliter homines ordinãtur ad ipſum Deũ, ſed etiam in quantùm ordinantur ad proximum, vt docet S. Tho. vt ſupra art. 3.

11 Non ſolùm pluribus præceptis Chriſtus in noua lege diſpoſuit interiora, & exteriora hominum, verùm inſtituit in ea multa conſilia, quæ non ad obligationem præcepti pertinent, ſed ad perfectionem vitæ ſpiritualis, vtilia ſunt, vt conſilia, quæ dantur circa caſtitatem paupertatem, religionem, & ſimilia, quibus citiùs, & expeditiùs homines beatitudinem aſſequerentur, vt tenent S. Thom. & Sot. vt ſupra, art. 4.

Digitized by Google

12 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd in Sacramentis nouæ legis datur gratia, quæ non deriuatur nobis niſi à Chriſto, mediantibus prædictis Sacramentis, & ſic conuenienter illa ab eo inſtituta fuerunt: alia verò, quæ non pertinent ad neceſsitatem prædictę interioris gratiæ, vt ſunt Sacramentalia, & cæremoniæ, relictæ ſunt, vt ab hominibus inſtituerentur, ſicut ſupra nu.6. dictum fuit, & ſoluitur argumentum.

Non obſtat ſecundum argumentum, nam reſpondetur eodem modo, quia iudicialia præcepta, & determinationes particularium illorum, non fuerunt à Chriſto inſtituta in illa lege noua, quia nõ ſunt de neceſsitate interioris gratiæ, in quo principaliter illa cõſiſtit: ideo reliquit ea, vt ſua auctoritate ab eis, qui curam aliorum habent, inſtituantur, vt ſupra num.6. dictum fuit, & ſoluitur argumentum, articulus, diſputatio, & liber primus de legibus.

(·:·)

LAVS DEO.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS

DE IVRE ET IVSTITIA DISTRIBVTIVA.


TRACTATVS.

COMPLECTENS DISPVTATIONES DE Iuſtitia diſtributiua, & de opinionibus ſequendis in quacunque re ad Rempublicam fœliciter regendam, & gubernandam valde vtilis, & neceſſarius.

AVCTORE DON NATALE SCHITTINO PANORMITANO, ſacræ Theologiæ ſacrorumque Canonum Doctore, ac Potentiſsimi Philippi Tertij Regis Cappellano.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPI D. D. Petro Fernandez de Caſtro Lemenſium Comiti, Marchioni Sarriç, ac Italiæ ſupremi Senatus Pręſidi, æquiſsimo, dicatus.

Cum indice in fine diſputationum, & articulorum, necnon rerum, & ſententiarum copioſiſsimo.



CVM PRIVILEGIO.

Matriti; Ex Typographia Regia, Anno 1617.

Digitized by Google

Digitized by Google

164

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO IN TRACTATVM DE Iuſtitia Diſtributiua.

SVMMARIVM.

Continuatio huius libri cum ſuperiori conſtituitur, num. 1.

Diffinitio, & denominatio iuſtitię diſtributiuę proponitur, nu. 2.

In quas diſputationes diuidatur iſte liber, oſtenditur, nu. 3.

Doctores, qui de hac materia ſcripſerunt, enumerantur, numer. 4.

1 IN Procemio præcedentis libri propoſuimus de duobus illis tractare, quibus Reſpublica regitur, de præmio ſcilicet, & pœna, & iam tractauimus de legibus diuinis, & humanis, quibus pœnæ reprobis præſcribuntur. Dicendum reſtat modò de iuſtitia diſtributiua, qua præmia, & bona communia, congrua proportione merentibus diſtribuuntur.

2 Iuſtitia diſtributiua ex D. Thom. 2. 2. q. 61. art. 1. ad 2. ſic diffinitur. *Iuſtitia diſtributiua eſt voluntas tribuendi vnicuique ius ſuum in diſtributione bonorũ communium*, & dicitur diſtributiua à diſtribuendo, nam per eã bona communia, præmia, & honores diſtribuuntur.

3 Diuiditur autẽ liber iſte in quatuor diſputationes. In prima tractabimus de acceptione perſonarum, quæ fit in beneficijs, & de reliquis eſſentialibus, & accidentalibus

adi

ad materiam iſtam. In ſecunda diſputatione videndum eſt de acceptione perſonarum in officijs ſæcularibus. In tertia de eadem acceptione in reliquis bonis diſtribuendis. In quarta de peccato, & pondere reſtitutionis, ad quam tenetur, qui leges illius non ſeruauerit. Et demùm vltimo loco, ſubteximus quintam diſputationem de opinionibus ſequendis, in quibuſcumque rebus agitandis.

4 De hac materia plures ſunt ſcriptores, Iuriſperiti, & Theologi. Iuriſperiti in c. cùm in cunctis, de elect. in c. licèt, 8.q.1. Theologi in 4. ſententiarum diſtin. 15. S. Tho. in 2.2.q.58.61. & 63. quem ſequuntur Sotus, Vazquez, Aragon. Salon, Molina, Læſius de iuſtitia & iure. Caetanus, Adrianus in 4. Alexan. Alenſ. 2. p. q. 13. Magiſter Ioan. Zapata, Rebellus de obligationibus, & ſummiſtæ plures, verbo acceptio perſonarum, & verbo dignitas.

(.?:)

DE

DE ACCEPTIONE perſonarum in beneficijs Eccleſiaſticis,

DISPVTATIO Prima.

IN SEX ARTICVLOS diuiſa.

In hac diſputatione agitur de iuſtitia diſtributiua, quantùm ad bona ſpiritualia diſtribuenda, & de acceptione perſonarum, quæ eſt vitium, quod ei opponitur, nec non de conditionibus eſſentialibus ipſius iuſtitiæ.

SVMMARIVM.

***P**Roponitur quæſitum articuli. n. 1.*
Proponuntur tria argumenta, n. 2.
Iuſtitia ſemper eſt ad alterum, oſtenditur, n. 3.
Ex triplici ordine, qui reperitur in republica, triplex iuſtitia conſtituitur, dicto n. 3.
Ex primo ordine, qui reperitur in republica, conſtituitur iuſtitia legalis, n. 4.
Ex ſecundo ordine conſtituitur iuſtitia diſtributiua, n. 5.
Ex tertio ordine conſtituitur iuſtitia commutatiua, n. 6.

Y Colli-

Digitized by Google

Colligitur ex dictis, differentia, quę verſatur inter has tres prędictas iuſtitias, n. 7.

Conſtituuntur differentię, quę ſunt inter prædictas iuſtitias particulares, d. n. 7.

Quid ſit iuſtitia vindicatiua declaratur, & ad quam iuſtitiam reducatur, n. 8.

Satisfit argumentis propoſitis, n. 9.

ARTICVLVS I.

1 *Vtrùm conuenienter triplex iuſtitia conſtituatur, legalis, diſtributiua, & commutatiua.*

2 PRO parte negatiua argumentor, & probo, quòd non conuenienter triplex iuſtitia conſtituatur, ſic. Vindicatiua iuſtitia eſt, quæ compenſat iniuriam ſecundùm æqualitatem delicti, infligitque pœnam, iuxta delicti quantitatem: ergo non triplex, ſed quadruplex iuſtitia eſt.

Secundô argumentor, auctoritate Ariſt. 5. Ethicor. & S. Thom. 2. 2. quæſt. 61. art. 1. qui duas tantùm ſpecies iuſtitiæ enumerant, diſtributiuam, & commutatiuam: ergo non benè triplex iuſtitia conſtituitur.

Tertiô. Finis iuſtitię eſt, reddere vnicuique, quod ſuum eſt, ſed in diſtributiua, nō redditur alicui, quod ſuum erat, imò de nouo appropriatur alicui, quod antea erat cōmune: ergo diſtributiua non eſt iuſtitia.

3 Sed ante quàm concluſionem conſtituamus, neceſſarium eſt aliqua ſupponere. Primò ſupponimus, quòd iuſtitia ſemper refertur, & eſt ad alterum, nam ex ſuà intrinſeca ratione æqualitatem importat, quæ requirit diuerſitatem

ſitatem ſuppoſitoruum; nihil enim propriè, ſed tantum metaphoricè, & ſimilitudinariè dicitur ſibi æquale, ſed ad alterum referenda eſt: & ex hoc fit, quòd talis debet eſſe in iuſtitia, diuerſitas, & differentia, qualis eſt, & reperitur in ordine ad alterum, ſed in republica humana, triplex tantummodo reperitur, & propter hoc triplex iuſtitia conſtituitur, ſcilicet, legalis, diſtributiua, & commutatiua, vt de ſingulis modò patebit, & tenet Sanctus Thomas 2.2 q.58 art.2. 5. & 7. & q.61. art.1. & ibi Caietanus, & alij expoſitores.

4 Primus ordo, qui in republica reperitur, eſt ordo partiũ ad totum, qui fit ab illa iuſtitia, quæ ordinat bonum partium in ordine ad bonum commune: & manifeſtum eſt, quòd omnes, qui ſub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem, ſicut comparantur partes ad totum, & hæc appellatur iuſtitia legalis, quia ſingulares homines per eam, ad totam rempublicam ordinantur, & ad hunc ordinem conſtituendum neceſſaria fuit ipſa iuſtitia legalis, cuius munus potiſsimum eſt, rectitudinem, & æqualitatem, ſecundùm leges in ſubditos conſtituere, in ordine ad bonum commune, & hæc iuſtitia legalis appellatur, alio nomine iuſtitia generalis, non quia genus ſit ad reliquas iuſtitiæ partes, ſed dicitur iuſtitia generalis, ſecundùm cauſalitatem, & virtutem, ſicut cauſa vniuerſalis eſt generalis, & ad omnes ſuos effectus, ita, & iſta iuſtitia eſt generalis, in quantum, actiones, & operationes in quacumque alia iuſtitia particulari, imò, & in quacunque alia virtute ipſa ordinat ad bonum cõmune, veluti ſol, qui generalis cauſa dicitur, qui cauſat omnes effectus naturales, ita, & iſta iuſtitia, quæ reſpicit, dirigit, curat, & ordinat omnia ad ſuum finem, & obiectum, quod eſt bonum commune, & vniuerſale: ita

Digitized by Google

tenet Ariſt. 5. Ethic. c. 1. & Sanctus Thomas, vt ſuprà art. 5 & 6.

5 Alia iuſtitia eſt, quæ dirigit ordinem totius ad partes, & appellatur hæc iuſtitia diſtributiua, & eſt illa, per quam Princeps ſeruat rectitudinem in bonis communibus diſtribuendis, vt in honoribus, pecunijs, officijs, beneficijs, & in alijs reb9, quæ inter ciues diſtribuũtur, & dicitur hæc iuſtitia particularis, quia quamuis diſtribuat bona cõmunia reipublicæ, quia tamen illa applicat priuatis, & ſingularibus perſonis, & nomen deſumitur ex termino ad quẽ res tendit, vt ait Ariſt. in libris de anima, propter hoc, hæc iuſtitia, quia tẽdit ad particularia, in quibus fit diſtributio, iuſtitia particularis nũcupatur, ita S. Th. vt ſuprà, q. 61. ar. 1.

6 Tertia iuſtitia eſt, quæ dirigit ordinem, & æqualitatẽ, inter partes ipſius reipublicæ, ſcilicet inter ipſos ciues, efficiens iuſtum, & æquum, in commertijs, emptionibus, vẽditionibus, cõpenſationibus, reſtitutionibus, & in alijs cõtractibus, ſeu commutationibus: & dicitur quoque hæc iuſtitia particularis, eadem ratione, qua diſtributiua, quia ad particularia dirigitur, ita S. Thom. vt ſuprà d. q. 61. art. 1, quem ſequuntur ibi Caietanus, Aragonus, & alij.

7 Ex dictis colligitur, quòd prædictæ tres iuſtitiæ, legalis, diſtributiua, & commutatiua, ex diuerſo fine, & obiecto differunt inter ſe. Sed quia de legali iuſtitia in primo libro ſatis dictum eſt. Modò tantũ de reliquis differentijs, quæ verſantur inter has duas iuſtitias particulares, ſcilicet, inter commutatiuam, & diſtributiuam, dicendum eſt, quæ licèt in aliquibus conueniant, nam vnaquæque iuſtitia tribuit quod ſuum eſt, & vtraque particularis nuncupatur, differunt tamen eſſentialiter inter ſe.

Primò, nam per iuſtitiam commutatiuam datur alteri, quod ei debetur, tanquam verè, & propriè ſuum.

Per

Per diſtributiuam autem, datur id, quod ei debetur, non niſi, tamquam quodammodo ſuum, quatenus eſt pars communitatis, cuius eſt officium, vel beneficium, quod diſtribuitur, & id, quod eſt totius eſt quodammodo partis, & ex hoc prouenit, quòd pars dignior habet maximum ius ad illum petendum, vt infrà, diſputatione 4. videndum erit, & tenet Sanctus Thomas dict. quæſt. 61. ar. 1. Differunt Secũdò, quia aliter conſtituitur æqualitas, in iuſtitia diſtributiua, & aliter in cõmutatiua; commutatiua enim conſtituit æqualitatem ſecundùm quantitatem numericam, & proportionem Arithmeticam, quæ eſt rei ad rem. V.g. ſuſcipienti centum, reddenda ſunt centum. Diſtributiua verò, facit æqualitatem ſecundùm geometricam proportionem meritorum. V.g. Debetur, vel meretur Petrus beneficium vt centum, non pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam dare illi centum, ſed ad commutatiuam, ad diſtributiuam verò pertinet, ſi duo, vel tres eamdem dignitatem, vel officium poſtulant, dare illud ſecundùm merita digniori, vel ſi erunt plura beneficia diſtribuenda, & plures, qui illa petunt, præſtantiora beneficia præſtantioribus conferenda erũt: ita S. Th. d. q. 61. ar. 2. & Ariſt. 5. Ethic. c. 3. cum alijs.

8 Aduertendũ eſt demũ, quòd: *Iuſtitia Vindicatiua eſt illa, quæ cõpenſat iniuriã factam ſecundum æqualitatẽ rei ad rẽ; infligitque pœnam iuxta delicti quantitatẽ.* Et bifariam cõſiderari poteſt, vno modo, vt pertinet ad iuſtitiam legalẽ, id eſt, quãdo iudex ex officio ſuo, vindictã ſumit de malefactoribus principaliter propter bonũ cõmune, & quietẽ reipublicæ, & vt cæteri timeãt: tum etiã, quãdo hoc etiã facit ad vtilitatem priuatæ perſonæ læſæ, nam expedit reipublicę ne delicta remaneant impunita, nec lęſus abſq; ſatisfactione iniuriæ relinquatur, & tunc vindicatiua

procedit à iuſtitia legali ſecundùm modum iuſtitiæ cõmutatiuę, qua vtitur miniſter iuſtitiæ in tali caſu. Poterit ſecundò iuſtitia vindicatiua conſiderari, prout pertinet ad perſonam priuatim, cui iniuria illata fuit, vultque illam à ſe repellere publica auctoritate iudicis, & eſt quãdo iudex non procedit ex officio in maleficijs, ſed ad petitionem, inſtantiam, & quęrelam partis, & tunc propriè, iuſtitia vindicatiua nõ eſt actus iuſtitiæ, quia plura ei deficiunt, ſed eſt quædam virtus moralis; quæ ſumit ſibi nomen vindicatiuæ iuſtitiæ, & reducitur tunc ad cõmutatiuam, & ſic vindicatiua nõ eſt alia iuſtitia particularis, ſed reducitur, & includitur in ſupradictis: ita S. Tho. & Caietanus 2.2. q 108 art. 1. & 2. Sotus de iuſtitia & iure, lib. 3. q. 5. art. 1. ad tertium.

9 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Nõ primum deſumptum ex iuſtitia vindicatiua; nam illa non conſtituit ſibi iuſtitiam particularem, ſed reducitur ad legalem, vel ad commutatiuam, prout in præcedẽti numero dictum eſt, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum deſumptum ex Ariſt. nam reſpondetur, quòd Ariſt. in 5. Ethic. diuiſerat priùs iuſtitiam in generalem, & particularem, deinde loquutus fuit in ſubdiuiſione de iuſtitijs particularibus: & eodem modo, 8
S. Thom. loco citato, nam tunc non loquebatur de iuſtitia in tota ſua generalitate, prout nos loquimur in præſenti, & ſoluitur ſecundum.

Non obſtat tertium: nam reſpondetur, quòd quia pars & totum, quodammodo ſunt idem, ita & id quod eſt totius, eſt quodammodo partis, & ſic cùm bona communia in ſingulis diſtribuuntur, tunc quilibet recipit aliquo modo, quod ſuum eſt, & ei applicatur, quod debetur, vt infra clariùs patebit, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli, n. 1.

Proponuntur tria argumenta contra quæſitum, n. 2.

Conſtituitur concluſio, & probatur, ſcilicèt, perſonarũ acceptio peccatum mortale eſt. n. 3.

Quando autem poterit eſſe veniale, oſtenditur, n. 4.

Acceptio perſonarum, vitium eſt oppoſitum iuſtitiæ diſtributiuæ, oſtenditur, n. 5.

Quæ ſit definitio ipſius acceptionis perſonarum, oſtenditur, dicto num. 5.

In quibus caſibus committatur acceptio perſonarum, oſtenditur, n. 6.

Mala quę ſequuntur ex iſto vitio, enumerantur, n. 7.

In bonis liberis, quę diſtribuuntur, non committitur acceptio perſonarum, oſtenditur, n. 8.

Satisfit argumentis propoſitis, n. 9.

ARTICVLVS II.

1 *Vtrùm perſonarum acceptio, quæ opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ, peccatum ſit mortale.*

2 PRimò pro parte negatiua argumentor, & probo, quòd perſonarum acceptio non ſit peccatum mortale, ſic. Apud Deum nulla poteſt eſſe iniquitas, neque peccatum; ſed Deus videtur perſonam accipere, qui duorum hominum vnius conditionis, vnũ aſſumpſit per gratiam, & alterũ reliquit in peccato, vt ait Matth.

c. 24.

c.24 ergo acceptio perſonarum, cùm reperiatur in ipſo Deo, peccatum non erit.

Conferre beneficium Eccleſiaſticum alicui, propter conſanguinitatem, vel ſeruitia præſtita, videtur ad acceptionem perſonarum pertinere, quia conſanguinitas, vel ſeruitia præſtita non ſunt cauſæ faciẽtes homines dignos Eccleſiaſtico beneficio, ſed hoc non eſt peccatum, cùm Prælati, & alij diſtributores hoc ex conſuetudine faciant: ergo acceptio perſonarum peccatum non eſt.

3 His, & alijs argumentis prætermiſsis non obſtantib⁹, veriſsima eſt noſtra concluſio: *Perſonarum acceptio ex genere ſuo, mortale peccatum eſt.*

Probatur primò, quòd ſit peccatum, auctoritate diuina, nam in ea lege nihil prohibetur, niſi peccatum; ſed perſonarum acceptio prohibetur multis in locis ſacræ Scripturæ, in Deuteron. c.1. & 16. habetur: *Non accipies cuiuſcumque perſonam*, hoc idem prohibetur in Leuit. c. 19. in Eccleſ. c. 24. Ergo perſonarũ acceptio peccatũ eſt. Quòd ex genere ſuo ſit mortale, quale eſt omne peccatum contra iuſtitiam, patet, quia eſt intrinſecum malum, ſicut furtum, adulterium, homicidium, & ſimilia. Tũ, quia eſt vitium contra rationem naturalem, nam rectitudo iuſtitiæ diſtributiuæ requirit, ne indignus digno, nec dignus digniori præferatur, prout fit ab iſto vitio: ergo mortale peccatum eſt. Et non ſolùm mortale, ſed etiam, in diſtributione bonorum ſpiritualium, maius, & grauius peccatum eſt, quàm in diſtributione bonorum temporalium, & tantò grauius, & peſtilentius, in quantùm ipſa ſpiritualia, tẽporalia antecellunt, vt ex multis infrà enumerandis patebit, ita tenet S. Thom. 2. 2. quæſt. 63. art. 1. & 4. & Caietanus ibi, Sotus de iuſtitia, & iure, lib. 3. quæſt. 6. art. 1. Aragonius, Vañez, & alij in 2. 2. q. 63. d. art. 1. & 4. Valentia,

tom.

Digitized by Google

tom. 3 diſput. 5. q. 7. de acceptione perſonarum, Rebellus de obligationibus 1. p. lib. 1. q. 3. ſect. 3. Læſius lib. 2. de iuſtitia c. 32. cum alijs.

4 Aduertendum tamen eſt, primò, quòd aliquando, & per accidens, hoc peccatum acceptionis perſonarum poterit eſſe veniale, ex leuitate materiæ, vel ex imperfectione actus. V. g. Quando exceſſus oppoſitorum eſt minimus, vel beneficia diſtribuenda ſunt fere æqualia, vel parum differentiæ, tunc valet illa regula: *Quòd parum diſtat, nihil diſtare videtur*, & illa alia: *Parum pro nihilo reputatur*. Et præſertim cùm ſint res morales, in quibus metaphyſicè non attendatur, prout patet in hoc exemplo de furto, quia furari ex genere ſuo mortale peccatum eſt, ſed furari rem paruam, & parui momenti, veniale erit, vt tenent Doctores loci ſuprà citatis.

5 Aduertendum eſt ſecundò, quòd iſtud peccatum acceptionis perſonarum, ſic definitur. *Acceptio perſonarum eſt iniuſtitia, in qua perſona præfertur perſonæ, propter indebitam cauſam*. Ex quo colligitur, quòd iſtud vitium oppoſitum, & contrarium eſt iuſtitiæ diſtributiuæ, quia iuſtitia diſtributiua exigit, & munus ſuum eſt, vt bona cōmunia diſtribuantur ſecundùm merita perſonarum; acceptio autem vult, quòd non attendatur ad merita, ſed inordinatè conferantur ex fauoribus, vel alijs cauſis infrà enumerandis, vt optimè oſtendit Sotus in præſenti, dum dicit, quòd iuſtitia diſtributiua, ſola merita reſpicit; acceptio verò perſonarum, non ad merita, ſed ad perſonas attēdit: ita S. Thom. & Caietanus loco citato art. 4. Sotus artic. 5. Aragonius d. q. 63. art. 4. cum alijs.

6 Aduertendum eſt tertiò, quòd acceptio perſonarum eſt, & accipitur in præſenti pro illo humano, & inordinato reſpectu, in quo bona communia diſtribuuntur, non

ſecundùm merita perſonarum, ſed ſecundùm alias cauſas, ſeu qualitates impertinentes, cùm fieri deberet ex meritis, & ex conditionibus, & qualitatibus à iuſtitia diſtributiua requiſitis. V. g. Si quis conferat in omnibus ſubſequentibus caſibus beneficium, vel officium alicui, propter perſonam illius, quia eſt Petrus, vel Ioannes, vel diues, vel amicus, vel affinis, aut ex negotiationibus, & fauoribus amicorum, ſeu Principum, vel quia erit eis in obſequium, aut alijs forſan iniquis, & turpioribus vijs, quæ nihil faciunt ad eſſe dignum officij, vel beneficij, imò cauſæ dicũtur ſupradictæ à Doctoribus impertinẽtes, & non facientes ad rem, neque aliquem ad eſſe dignum officij, vel beneficij conferendi, tunc dicitur peccatũ acceptionis perſonarum committi; ſi verò conferantur prædicta bona communia illis, qui ſunt doctiores, ſanctiores, vel idonei ad Eccleſiám regendam, defendendam, inſtruendam, & gubernandam, tunc ad cauſam legitimam, & debitam attenditur, & acceptio perſonarum non committitur, vt eleganter oſtendit gloſ. ſuper illud ad Epheſ. c. 6. dũ ait: *Perſonarum acceptio non reperitur apud Deum, quia Deus iuſtus iudex cauſas, & non perſonas reſpicit,* ita S. Th. vt ſuprà dict. art. 1.

7 Aduertẽdũ eſt quartó, q; mala, quæ ex iſto vitio acceptionis perſonarũ procedũt, plura ſunt, & aliqua referã, quę oſtẽdunt, quã pernicioſum, & graue peccatũ ſit, nã reſpublica, tã ciuilis, quàm Eccleſiaſtica maximè lęditur, & quid deterius eſſe poterit, & cõtrariũ rationi, quã ſi indigni dignioribus pręferãtur; quid pernicioſiꝰ, quòd ordo reipublicæ peruertatur: & dũ id, quod dignioribus conferendum erat, alijs, indebitis vijs conferatur? Ita S. Thom. & Doctores citati, vt ſuprà.

8 Aduertendum eſt, quòd hoc vitium committitur, quo-

quoties bona quæ diſtribuuntur, ſunt bona communia, ex iuſtitia debita, nam ſi fuerint bona libera, quæ diſtribuuntur ex gratuita voluntate diſtribuentis, vel quæ merè liberè conferuntur hominibus, non habet tunc locum in eis acceptio perſonarum, etiam quòd magis vni, quàm alteri conferantur. V. g. Dat quis triginta aut eos de ſuis proprijs bonis amico, conſanguineo, vel vicino, ratione tantùm conſanguinitatis, amicitiæ, vel vicinitatis, & nihil dat extraneo, quamuis ſciat, quòd ſit melior, vel quòd egeat magis, non eſt acceptator perſonarum iſte, qui hoc fecerit, nam, q; diſtribuit eſt proprium ipſius, nulliq; debitum, & nulli fit iniuria, nam in re ſua, quilibet eſt moderator, & arbiter, vt in l. in re mandata, C. mandati, & ait D. Matt. c. 20. ***An non licet mihi, quod volo facere***, quia tunc bona, quæ diſtribuebant non erant bona communia, ſed libera, quia Deus, quæ dat, nulli de iuſtitia debentur, ſed ex ſua gratuita voluntate dantur.

9 Non obſtant modò in contrarium adducta argumẽta. Non primum deſumptum ex auctoritate Matth. c. 24. nã reſpondetur, quòd duplex eſt datio. Vna pertinens ad iuſtitiam, quando aliquis dat alicui, quod ei debetur, & in ipſa poterit contingere perſonarum acceptio. Alia verò eſt datio ad liberalitatẽ pertinens, in qua gratis aliquid datur alicui, quod ei non debetur, quia quilibet de ſuo poterit dare abſque iniuria, quãtum vult, & cui voluerit; Deus autẽ non ex debito, ſed ex gratia peccatores vocat ad pœnitentiã, iuxta illud Pauli ad Thimot. c. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam, ſaluos nos fecit*, & ſic potuit vnum iuſtificare, & alterum non. Vel reſpõdetur ſecundô ad argumentum, quòd iuſtificauit vnũ, quia erat diſpoſitus, alterum reliquit, quia non erat, & ſic ſoluitur argumentum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd famuli, ſeu conſanguinei prælatorum, ſeu diſtributorum, aliquã do ſunt minùs digni, & tunc ſi dignioribus præferantur, acceptio perſonarum committitur: quandoque famuli, & conſanguinei ſunt æquè digni, tunc licitum erit, quòd detur locus gratificationis in illis, niſi ſcandalum ex frequentia oriatur, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, n. 1.

Proponuntur duo argumenta, n. 2.

Conſtituitur concluſio quòd tantum tres ſunt conditiones, quæ requiruntur de iure diuino, & naturali, & probatur, n. 3.

Prima conditio eſt morum probitas, & oſtenditur, n. 4.

Secunda conditio eſt doctrina, & quanta debet eſſe, oſtendiditur, n. 5.

Tertia conditio eſt induſtria, ſeu prudentia, & oſtenditur, numer. 6.

Aliæ conditiones, ſeu habilitates poſitiuæ, oſtenduntur, n. 7.

Conditio ſeruitiorum enumeranda eſt inter ſupradictas, oſtẽditur, n. 8.

Seruitia antiquiora ſemper preferenda erunt; oſtenditur, d. numer. 8.

In *eligendis requiritur, quòd poſitiuè cognoſcantur boni ab electoribus, n. 9.*

Quæ harum conditionum in bonis diſtribuendis preferenda erit, & quomodo ex eis colligitur dignitas perſonę, numer. 10.

Satisfit argumentis propoſitis, n. 11.

AR-

ARTICVLVS II.

1 Vtrùm tantùm tres conditiones eſſentiales de iure diuino, & naturali requirantur in iuſtitia diſtributiua.

2 PRO parte negatiua argumentor ſic. Plures ſunt aliæ conditiones, quæ requiruntur in electionibus faciendis; requiritur ætas, requiritur quòd eligendi non ſint excommunicati, ſuſpenſi, vel alia cenſura ligati, quòd ſint ex legitimo matrimonio nati, & plures alię, vt in Concilio Trident. ſeſſ. 22. c. 4. & ſeſſ. 24. c. 12. & 18. de reform. tex. in c. ad præſentiam, in c. cùm decorem, in c. ad abolendam, de filijs presbyt. in c. poſtulaſti, de cleric. excom. in c. cùm dilect⁹ de conſuetudine, cum alijs: ergo non tantùm tres ſunt conditiones, quæ requiruntur in iuſtitia diſtributiua, ſed plures.

Secundò in c. cùm in cunctis, & in § inferiora, in c. cũ nobis olim, de electione, quatuor conditiones in electione Epiſcoporum, & aliorum requiruntur: ergo non tantũ tres inſtituendæ erunt.

3 His, & alijs argumentis non obſtantibus, concluſio eſt: *Tantùm tres conditiones eſſentiales de iure naturali, & diuino, requiruntur in iuſtitia diſtributiua, ſcilicèt. Probitas morum, doctrina & prudentia, ſeu induſtria perſonę.*

Probatur concluſio. Primò auctoritate Matth. c. 24. & ratio iſtius concluſionis eſt, quia miniſtri publici Dei, & Eccleſiæ tenentur alios doctrina, & exemplo promouerę: requiritur ergo ex hoc, quòd prædictis conditionibus exornetur. Et fulcitur auctoritate Concilij Tridẽt. ſeſſ. 22.

c.2.& ſeſſ.24.c.12.& 18.de reform text in c. cùm in cun-ctis, & §. inferiora, c. cùm nobis olim, de elect. c. eam te, c.fin.de ætate, & qualitate, c. licèt ergo 8.q.1.cum alijs, & tenent hoc S.Thom 2.2.q.63.art.2.Sotus de iuſtitia & iure, lib.3. quæſt.6.art.2.Aragonius, Salon, & Bañez, dicta quæſt. 63.art 2.Læſius lib.2.c. 24. de beneficijs, dubit.23. cum ſequentibus.

4 Sed quia prædictæ conditiones ſunt veluti ſanctiones, & fundamenta præſentis materiæ, ſingulæ ſigillatim expli candæ ſunt. Prima conditio eſt morum probitas, quæ de iure diuino, & naturali requiritur, & in Côcil. Trid. à ſeſſ. 22 vſque ad ſeſſ.24. locis ſupra citatis de reform. ea ſæpè repetitur, & ſtrictè requiritur, quia ex eius neglectu ferè pernicies Eccleſiæ emanauit: & ratio eſt, quia electus ad beneficium, eligitur ad miniſterium Dei, vt Paulus ait, 1. ad Corint.c.4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti*, quomodo ergo poterit homo peccator, cû inimicus Dei ſit, eius miniſter conſtitui? Tum ſecundò, quia munus eli gêdorum ad beneficia Eccleſiaſtica, principale eſt, vt ſint mediatores inter Deû, & homines, vt ait idem Paulus ad Hebr.c. 5. quomodo poterit eſſe mediator, qui inimicus Dei reperiatur? Tum denique, quia eligêdi, miniſtri ſunt publici Dei, Eccleſiæ, & reipublicæ, & tenentur exemplis & moribus alios promouere, vt ſupradictum eſt, vnde ſi-cut œconomus, qui conducit operarios inimicos in vi-neam Domini ſui, eſſet illi infidelis, & iniurius: ita erunt electores, ſi ad beneficia peccatores, & improbos eligant, qui à ſacris Canonibus indigni reputantur, text. in c. licèt 8.q.1. in c. cùm in cunctis de elect. in c. miramur, 19. diſtin. Concilium Tridentinû in ſeſsion. ſuprà citatis, & tenet Sanctus Thomas vt ſuprà, & quodlibet.8.art.6.

Secun-

Digitized by Google

5 Secunda conditio de iure naturali, & diuino, eſt doctrina, ſeu ſcientia, quæ neceſſaria eſt in eis, qui ad Eccleſiam Dei regendam, defendendam, & pacificè gubernandam, eliguntur: & ratio naturalis oſtendit, quòd vnuſquiſque ſcire tenetur ea quæ neceſſaria ſunt, ad rectè exercẽdum munus, ad quod aſſumptus fuerit, aliàs periculo ſe exponeret errandi, & peccandi, ſi debitum munus ſuæ adminiſtrationis non agnoſceret; non tamen æqualiter in omnibus beneficijs Eccleſiaſticis, & officijs ſæcularibus æqualis doctrina requiritur; nam maior, & maxima debet eſſe in Epiſcopatibus, & in beneficijs curatis, vt infrà in ſequẽti articulo videndum erit; in Epiſcopatibus enim Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 2. inter plura alia requirit, vt qui futurus eſt eligendus Epiſcopus, ſit Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel in iure Canonico, aut ſaltim publico teſtimonio alicuius Academiæ ad alios docendos idoneus oſtendatur, & hanc conditionem ſtrictè iura requirunt, text. in c. cùm ſit ars, de ætate, & qualitate, in c. graue nimis, de præbendis, in c. conſtat, in c. licèt, 8. q. 1. in c. 1. in c. cùm in cunctis, in c. cùm nobis olim, de elect. in Concilio Tridentino dicta ſeſſ. 22. c. 1. & 2. & ſeſſ. 24. c. 1. & 24. & c. 1. & 4. de reformatione, & tenent communiter Doctores, & Sanctus Thomas 2. 2. quæſtion. 72. & quæſtione 185. articulo tertio, Bañez, & alij ſuprà citati.

6 Tertia conditio, quæ de iure naturali, & diuino requiritur, eſt prudentia, ſeu induſtria in rebus gerendis, iuxta illud Chriſti. *Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*. Et conditio iſta maximè & potiſsimùm requiritur in Epiſcopatibus, & beneficijs curatis: in cæteris autem beneficijs requiritur, ſed proportionabiliter, in quãtũ neceſſaria

erit

erit ad officia exercenda, vt in Concil. Trident. d. ſeſſ. 22. c. 2. & in c. niſi, de renuntiatione, in c. Petrus 39. diſtinct. in c. in iuribus, & tenent Sanctus Thomas, & Doctores locis ſupra citatis.

7 Sed aduertendum eſt, quòd præter conditiones ſupradictas, quæ de iure naturali & diuino requiruntur in collatione beneficiorum, vel officiorum, ſunt & aliæ plures, quæ de iure poſitiuo requiruntur, quas potiùs habilitates, ſeu capacitates iuridicas nuncupandas eſſe cenſemus. Requiritur primò ætas, in quocunque beneficio, dignitate & functione Eccleſiaſtica, vt in Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 12. & in Epiſcopatu requiritur ætas triginta annorum, vt in d. c. cùm in cunctis de electione. Requiritur ſecundò. quòd Epiſcopus ſit ex legitimo matrimonio natus vt in d. c. cùm in cunctis in Concil. Tridentin. ſeſſ. 25. c. 15. hoc idem requiritur præſertim in beneficijs curatis, vt in c. 1. de filijs presbyterorum, in 6. Requiritur tertiò, quòd eligēdus non ſit excommunicatus, vel alia cenſura ligatus, vt c. poſtulaſti, de clerico excom. in c. 1. de ſponſalib. Requiritur quartò ordo, vel clericatus, vt in c. cùm adeò, de reſcript. in c. ex literis, de tranſlationibus, & aliæ conditiones poſitiuæ, ſeu habilitates requiruntur, vt optimè aſsignat Læſius lib. 2. c. 34. de beneficijs, dub. 17. & in ſequentibus.

8 Enumeratis conditionibus ſupradictis, etiam enumeranda erit inter eas, dum locus ſit gratificationi, conditio ſeruitiorum, & præſertim, ſi ſeruitia fuerint facta alicui magno Principi, quæ nō ſolùm propter ſtipēdiū annuale, & quotidianam portionem præſtantur, ſed propter retributionem futuram præmiorum, quæ ex quodam quaſi tacito pacto, conuentioneque inter famulum, & dominū, longæua conſuetudine præſcripta omni iure debetur,

quan-

quantùm ad temporalia præmia loquor, in quibus pacto prohibita non eſt, nec conuentio à iure poſitiuo, prout factũ eſt in bonis ſpiritualibus. Et ratio naturalis ſuadet hoc, & iura fortiter proclamant, eleganter tex. in c. cùm ſecundùm Apoſtolum, de præbendis, & in c. quicunque 12. q. 2. text. in l. ſecundùm naturam, ff. de reg. iur Sed aduertendum ſemper erit, quòd inter ſeruitia, ea quæ fuerint maiora, præſtantiora, & antiquiora præferenda erunt, ne dicatur, quòd in bonis publicis diſtribuendis, ſine demeritis antiquiores poſtponãtur contra iuſtitiam, eleganter text. in reg. *Qui prior eſt tempore potior eſt iure*, de regul. iuris. lib. 6. in l. quoties in vtriuſque, ff. eodem titulo, text. in l. vt gradatim, ff. de muneribus, & honoribus, cum alijs.

9 Ex quibus colligitur, quòd diſtributores, ſeu electores in conditionibus ſupradictis maximè attendere debent, & non ſatis eſt, ipſos ſecundùm illam regulam generalem procedere, quòd, *Quilibet præſumitur bonus, dum malus non appareat*, vt in c. dudum, de præſumptio. Sed etiam neceſſarium eſt inquirere, in quantum cõmodè, & moraliter hoc fieri poterit, vt eligendus ab eis cognoſcatur poſitiuè bonus: & ratio clara eſt, quia cùm ipſi teneantur, peccatores non eligere, ſed doctiores, digniores, & vtiliores, tenentur ex hoc quoque inquirere, ſi bonus, & dignior ſit, qui eligendus eſt: ita S. Thom. & Caietanus, d. q. 63. ar. 2. Læſius vt ſupra dubio 12. num. 56. cum alijs.

10 Viſis cõditionibus ſupradictis de iure naturali, & diuino: reſtat modò difficultas, quæ earũ in bonis diſtribuẽdis præferenda ſit; & abſolutè loquendo, virtus, ſanctitas, & bonitas, quæ eſt probitas morũ præferẽda eſt. Poſtmodũ ſciẽtia cõſideratur, licèt cõparatiuè aliquãdo è contra,

Digitized by Google

induſtria, ſeu prudẽtia præfertur. Ex quo deducitur, quòd vera regula quæ conſtituitur eſt: *Aliquem eſſe magis, vel minùs dignũ ad officium, ſeu ad beneficiũ Eccleſiaſticum, nõ erit ſumendum ex ſola morum probitate, neque ex ſola doctrina, ſeu prudentia: ſed tantò quis erit alio dignior, in quantùm illum exceſſerit, vel in omnibus his tribus conditionibus, vel in aliqua earum cæteris paribus, vel in ea præſertim, quæ ad vtilitatem Eccleſiæ magis facit.* Nam in collationibus beneficiorum, & officiorum, & præcipuè in Epiſcopatibus, attenditur potiſsimũ ad vtilitatẽ Eccleſiæ, & ad bonum commune, &, vt eligãtur illi, qui poſsint prædictam Eccleſiam optimè inſtruere, defendere, & gubernare. Et propter hoc contingit aliquando, quòd illi, qui ſunt minùs boni, & minùs docti (nõ dico mali) poſſunt magis conferre ad bonũ cõmune, propter potentiam, vel induſtriã ſæcularẽ, vel propter aliquid huiuſmodi, & tũc melioribꝰ præferũtur, vt habetur in c. fin. de reſcriptis, lib. 6. & tenet S. Thom. quodlib. 8. art. 6. & 2. 2. q. 63. ar. 2. & q. 185. ar. 3. Felin. de reſcript. c. cùm adeò, n. 7. Couar. 2. p in regul. peccatum, §. 7. cum alijs ſuprà citatis.

11 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum deſumptum ex pluribus iuribus, nam reſpondetur, quòd verum eſt, quòd plures aliæ ſunt cõditiones de iure poſitiuo, quæ potiùs, habilitates nuncupandæ ſunt, ſed de iure diuino, & naturali tres tantùm ſunt, prout n. 3. & n. 7. dictum fuit, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum deſumptũ ex c. cùm in cũctis, de electione, nã reſpõdetur, quòd in d. c. nõ ſolũ enumerãtur conditiones, quæ ſunt de iure naturali, & diuino, de quibꝰ nos principaliter loquimur; ſed & aliæ de iure poſitiuo, pro vt declaratũ eſt, & ſoluitur argumentũ, & articulus. c1

SVM-

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli, vtrùm Epiſcopus, Caniſta magis, quàm Theologus eſſe debeat, n. 1.

Proponuntur tria argumenta contra quæſitum, numer 2.

Refertur duplex opinio in hoc, oppoſita Theologorum, & Canoniſtarum, n. 3.

In quo conſiſtat reſolutio iſtius difficultatis, n. 4.

Conſtituitur prima concluſio, quæ pluribus rationibus, & auctoritatibus probatur, n. 5.

Quę dicta ſunt de Epiſcopis, dicuntur etiam proportionabiliter de beneficijs curatis, n. 6.

Conſtituitur ſecunda concluſio, & probatur, n. 7.

Satisfit argumentis propoſitis in principio, n. 8.

ARTICVLVS IIII.

1 *Vtrùm Epiſcopus, Canoniſta magis, quàm Theologus eſſe debeat.*

2 PRimò contra quæſitum argumentor, & probo, quòd impertinens eſt iſta quæſtio, nam in electione Summi Pontificis non conſideratur, ſi eligēdus eſt Theologus, Canoniſta, vel Iuriſperitus; ſed tantùm ille dignior exiſtimatur, qui prudentior eſt, & aptior ad pacem ſeruandam in Eccleſia: ergo neque in electione Epiſcoporum hoc requirendum erit.

Secundò argumentor ſic. Epiſcopalis dignitas potiſsimè conſiſtit in iuriſdictione, & poteſtate circa ſubditos, vt patet auctoritate Matthæi c. 17. *Tibi dabo claues Regni cælorum*, quæ denotāt iuriſdictionem ſpiritualem, ſed exercitium huius poteſtatis magis ſpectat ad ius Canonicum, quàm ad Theologiam: ergo Canoniſta Theologis præferendus erit.

Tertiò. Theologia ſolùm requiritur in Epiſcopo, vt prædicet, & doceat legem Dei, ſed hoc non eſt neceſſarium, quia frequentiſsimi ſūnt prædicatores, & Doctores vbique, ita, vt non egeat Eccleſia doctrina Paſtoris: ergo Theologus neceſſarius non eſt.

3 Sed pro explicatione iſtius difficultatis, & anteà quàm concluſiones conſtituamus, notandum eſt primò, quòd circa hoc duplex eſt ſententia: Iuriſperiti docent ſimpliciter, & abſolutè, data paritate, digniores reputandos eſſe Canoniſtas, quàm Theologos: in caſu autem particulari, V.g. quando pullulant hæreſes, vel inopia eſt prædicatorum, vel ſi locus Epiſcopi ſit vicinus hæreticis, tunc præferendus erit Theologus, ita docent Panormitanus, & Hoſtienſis poſt alios, in c. 1. de conſang. & affin num. 9. Decius in c. Clerici, de iudicijs, n. 34. Aduertēdum, quòd dixi, data paritate, nam ſi aliquis fuerit Doctor Theologię & ſacrorum Canonum, præcedere debet ſimplicē Doctorē; ita Decius loco citato. Oppoſita ſententia eſt Theologorum, vt infrà patebit.

4 Notandum eſt ſecundò, quòd reſolutio iſtius quæſtionis conſiſtit in cognitione proprij muneris, & principalis officij ipſius Epiſcopi, in quo cōſiſtat; nā ſi cōſiſtat primò, & per ſe in iudicādo de cauſis Eccleſiaſticis, benè loquuntur Canoniſtæ: ſi autē conſiſtat in docēdo, & prædicando fidelibus, & ad inſtruēdū illos in rebus fidei, Theologi pręferentur.

His

5 His præmiſsis, ſit prima concluſio. *Cæteris paribus, regulariter, Epiſcopus magis eſſe debet Theologus, quàm Canoniſta.*

Probatur concluſio, quia principale munus Epiſcoporum eſt docere, prædicare, & paſcere doctrina, iuxta illud Ioannis cap vltimo, vbi Chriſtus, non dixit Petro, iudica inter oues meas, ſed *Paſce oues meas.* Confirmatur, quia ſecundùm fidem, Epiſcopi ſucceſſores ſunt Apoſtolorum, quorũ munus erat docere, & prędicare, vt patet etiam ſequentibus auctoritatibus ſacræ Scripturæ. Ioann. c. 15. *Ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis.* Pauli 1. ad Corinth. *Non miſit me Dominus baptizare, ſed Euangelizare.* Et Marc. c. vltim. *Ite, docete omnes gentes, & prædicate Euangelium hoc omni creaturę.* Hoc idem videtur expreſſum in Concilio Tridentino ſeſſ. 5. c. 2. & ſeſſ 24. c. 4. de reformatione, & in c. ſi quis 36. diſtinction. & in c. omnem, 38. diſtin. Fulcitur etiam ſequentibus rationibus, nam in conſecratione Epiſcoporum, non interrogatur Epiſcopus ordinandus, an ſciat vtrunque ius, ſed *an ſciat vtrunque teſtamentum*: & in fine conſecrationis dicitur Epiſcopo conſecrato: *Vade, & prędica Euangelium*, ſed ſcire vtrumque teſtamentum, intelligere ſcripturas, prædicare Euangelium, paſcere oues, verbo, & doctrina, docere fideles, impugnare hæreſes, munera ſunt Theologi, & non Canoniſtæ, & ſic Theologus erit præferendus: ita Ricardus quodlibet. 4 Sylueſter, verbo Epiſcopus, Caietanus 2. 2. quæſtione 185. articulo tertio. Sotus de iuſtitia, & iure lib. 3. quæſtione 6. articulo ſecundo, concl. 10. Aragonius, Bañez 2. 2. quæſtion 63. art. 2. cum alijs.

6 Aduertendum eſt, quòd hæc, quæ dicta ſunt in Epiſcopatu, dicenda quoque ſunt proportionabiliter in alijs beneficijs curatis, quibus potiſsimũ etiam incumbit paſcere ſubditos doctrina, & prædicatione, & plus iuuat ad confeſsiones audiendas, & ad cõſcientias ſedandas in grauiſsimis difficultatibus occurrentibus circa materias morales, & reſtitutiones faciendas, Theologia, quã Iuriſperitia, & præſertim cùm in beneficijs curatis requirantur ſupradicta, & non cauſas iudicare Eccleſiaſticas.

7 Sit tamen ſecunda concluſio. *In electione Epiſcoporum aliquando licitum erit, vt præferatur Canoniſta, ſcilicet, quando multa imminent negotia in Eccleſia, & plures ſunt miniſtri Euangelij, & præſertim ſi fuerit eminens doctrina, & zelo animarum, tunc licitum erit, vt Canoniſta præferatur*: ita communiter Theologi locis citatis.

8 Quibus ſic conſtitutis, non obſtant in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd in electione Romani Pontificis, non ita attenditur ſcientia, quàm virtus, & diſcretio: & ratio eſt, quia habet miniſtros in omni facultate peritiſsimos: & etiam, quia non decet, vt tantę auctoritatis vir per ſe ipſum doceat populos, ſed attenditur tunc præcipuè virtus, & prudentia ad alios gubernandos, quæ non ſatis eſt in Epiſcopo: & ſoluitur primum argumentum.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, negando, quòd Epiſcopalis poteſtas potiſsimùm conſiſtat in poteſtate, & iuriſdictione ſpirituali circa ſubditos, quod eſt ſecundarium in eis, nam Epiſcopi, paſtores & patres dicuntur, non iudices. Et illud Matthæi intelligitur primò, & per ſe de claue ſcientiæ: deinde, & ſecundariò de iuriſdictione, vt declaratum fuit, & ſoluitur ſecundum argumentum.

Digitized by Google

Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd licèt multi ſint prædicatores, non propter hoc tollitur, aut minuitur obligatio prælati ad ea, quæ ex officio potiſsimũ tenetur, & ſic Theologi præferendi ſunt, vt declaratum fuit, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum articuli, n. 1.

Proponuntur ſex argumenta, n. 2.

Conſtituitur opinio gloſ. & aliorum, n. 3.

*Non loquimur de indigno, qui nunquam eligendus eſt: & quàm graue peccatum ſit illum eligere, oſtenditur, n.*4.

Neque loquimur de ęquè digno, in quo eſt locus gratificationi, num. 5.

*De electione poſſumus loqui, vel quoad forum iudiciale, vel quoad forum conſcientiæ, n.*6.

Iura aliqua loquuntur de electione ante factum, aliqua poſt factum, oſtenditur, n 7.

*Iura, quę dicunt, dignum eſſe eligendum, ſunt iura permiſsiua, oſtenditur, d. n.*7.

In beneficijs tria reperiuntur, miniſterium, ſtipendium, & honor, declaratur, n. 8.

*Ad quid tenentur electores in ſupradictis tribus, quę in beneficijs reperiuntur, oſtenditur. n.*9.

Loquimur in pręſenti de electoribus illis, qui habent eligere de iure communi, n. 10.

Conſtituitur prima concluſio: eligere dignum in Epiſcopatu, & in beneficijs curatis, prętermiſſo digniori, mortale peccatum eſt, n. 11.

Probatur concluſio, primò exemplis ſacrę Scripturę. d. n. 11.

Probatur ſecundò auctoritate iurium, & Conciliorum, n. 12.

Pro-

Probatur tertiò concluſio rationibus.n.13.

Probatur quartò, auctoritate grauiſsimorum Doctorum, num.14.

Prętermittere digniorē in Epiſcopatu, & in curatis ex quinque capitibus, mortale peccatum eſt, n.15.

Eligere digniorem in ſupradictis caſibus, pręceptum eſt naturale, diuinum, & humanum, n.16.

Monentur electores ad eligendos digniores, n.17.

Secunda concluſio. Non licet in alijs beneficijs conferre beneficium digno, prętermiſſo digniori, n.18.

Non valet conſuetudo Epiſcoporum ad dignos pręſentandos num.19.

Satisfit argumentis propoſitis, n.20.

ARTICVLVS V.

1 *Vtrùm liceat conferre beneficium digno, dimiſſo digniori.*

2 PRimò pro parte affirmatiua argumentor multipliciter, & probo, quòd liceat conferre beneficiū digno, dimiſſo digniori; ſic. D. Paul. 1. ad Timoth. c. 3. & ad Tit. c. 1. enumerans conditiones Epiſcopi eligēdi, non loquitur cōparatiuè, ſed tātùm poſitiuè, & dicit, quòd ſit Epiſcopus prudens, ſobrius, pudicus, doctus, &c. ergo ſufficit eligere poſitiuè dignū, & non comparatiuè digniorē.

Secūdò argumentor ſic. Si electores tenerentur eligere digniores, ſequeretur, quòd tenerētur ſemper inquirere cū maxima diligētia, omniū digniſsimū: cōſequēs eſt falſum; ergo & antecedēs; & ſic ſatis erit eligere dignum.

Tertiò, Dominus alicuius rei poterit illā cōferre cui voluerit, ſaltim digno: ſed Rom. Pont. eſt dominus beneficiorū, & in illis plenā poteſtatē habet, vt in c. 2. de præb. lib. 6. & in

& in Clement. 1. ne lite pendente, & patet, nam ſi ipſe Romanus Pontifex conferret Epiſcopatum Petro digno, dimiſſo Ioanne digniore, verè Epiſcopus erit Petrus, & tutus in conſcientia: ergo ſaltim illi licitum erit conferre beneficium digno, dimiſſo digniori.

Quartò. Non magis tenetur elector, & præſentator in collatione beneficiorũ, quam tenetur ille, qui renuntiat, vel reſignat beneficium in fauorem alicuius: ſed qui renuntiat, vel reſignat, non tenetur eligere digniorem, vt ex conſuetudine approbata patet: ergo neq; electores, neque præſentatores tenentur eligere digniores.

Quintò. Ius Canonicum antiquum, & nouum diſponit, quòd ſufficit eligere dignum, vt in c. Canonicus, in c. cùm dilectus, in c. cùm nobis olim, in c. cùm inter, de electione, in c. monaſterium, in c. decernimus, 16. quæſt. 7. in Concil. Trid. Seſſ. 7. c. 3. de reform. ergo ſufficit ſecũdùm iura eligere dignum, dimiſſo digniori.

Sextò, & vltimò argumentor ſic. Confirmator electionis non peccat mortaliter, imò tenetur confirmare electionem, quæ facta eſt de digno, vt in c. poſtulaſti, de iure patronatus: ergo, nec præſentator, nec elector peccabunt eligendo dignum, dimiſſo digniori.

3 Sed antequàm concluſiones conſtituamus in iſto articulo, aliqua priùs ſupponenda ſunt: & primò ſupponimus, quòd gloſſa in c. conſtitutus, de appellat. in c. licèt. 8. q. 1. in c. 3. de iure patronat. in c. 2. de officio Cuſtodis, aſſerit, non eſſe peccatum mortale, neque acceptionem perſonarum, eligere dignum, dimiſſo digniori, quam ſequuntur Nauarrus de reſtit. lib. 2. p. 2. Butrius in dict. c. conſtitutus, vbi Abb. Panormitanus, & reliqui, quos refert Couarru. in reg. peccatum, §. 7. nu. 3. & fundantur in rationibus adductis in ſupradictis argumentis.

Digitized by Google

4 Secundò ſupponimus, quòd in præſenti non loquimur de indigno, qui nunquam eligendus eſt, ſed tantùm loquimur de digno, & digniori. Indignus dicitur ille, qui ad officium præſtandum eſt ineptus, vel ratione prauitatis vitæ, vel ignorantiæ, vel quia non concurrunt in eo reliquæ conditiones, & habilitates à iure requiſitæ, vt in præcedentibus dictum fuit. Indignus non ſolùm nunquam eligendus eſt, imò eum eligere eſt graue detrimẽtum, & iniuria, quæ fit Eccleſiæ, ſeu Reipublicæ, & dignioribus prætermiſsis: & grauiſsimum peccatum committitur, & detrimentum dignioribus ab electoribus, illum eligendo, contra iuſtitiam legalem, commutatiuam, & diſtributiuam. Contra legalem iuſtitiam, propter damnum, quod committitur cõtra Eccleſiam, vel Rempublicam, quod ipſi vitare tenebantur. Contra iuſtitiam diſtributiuam, cùm dentur bona communia Reipublicæ, ſine meritis. Contra commutatiuam iuſtitiam, cùm non prouideant electores, ſicut de officio tenebantur, qui maximoperè increpantur in c. graue nimis, de præbendis, taliſque electio reuocari, & irritari debet, argumento text. in c. nulli, de Clerico non reſidente; & in Concil. Trident. Seſſ. 7. c. 3. & Seſſ. 24. c. 18. de reformatione, vbi etiam renouantur pœnæ, in dict. c. graue nimis contra electores, indignos eligentes: ita Sotus de iuſtitia & iur. lib. 3. q. 6. artic. 2.

5 Supponimus ſecundò, quòd neque loquimur in præſenti de æquè digno; in quo non poterit eſſe violatio iuſtitiæ diſtributiuæ, neque acceptio perſonarum, nam in æquè dignis datur electoribus ius gratificationis: & ratio eſt, nam cùm par ſit ius æquè dignorum, nulla poterit eſſe ratio, cur magis vnus, quàm alter eligatur: ſed loquimur tantùm, ſicut D. Thom. loquutus eſt, comparatiuè de digno,

Digitized by Google

digno, & digniori, in quibus non datur locus gratificationis, ſed ſemper dignior erit præferendus, & tenent Valentia, tom. 3. diſput. 5. q. 6. p. 3. Couarr. 2. p. in reg. peccatum, §. 7. & 8. concl. 2. Syluester verbo reſtitutio, c. 3 §. 12. cum alijs.

6 Supponimus tertiò, pro concordantia plurimorum iurium, & pro ſolutione plurimorum argumentorū, quòd de electione poſſumus loqui multipliciter. Primò, vel quoad forum iudiciale, vel quoad forum conſcientiæ. Rurſus, quoad forum conſcientiæ, vel reſpectu electi ad beneficium, vel reſpectu electori, ſeu eligentis. Quo ſuppoſito, dico breuiter, quòd ſi loquamur de electione, quæ facta fuerit digni, prætermiſſo digniori, communis ſententia eſt, quòd electio facta in perſona digni, de iure communi, & antiquo regulariter valida eſt, & non ſolùm in foro iudiciali, & contentioſo, & in foro conſcientiæ, dignus electus tutus eſt, & in vtroque foro, argumento text. in c. niſi cùm pridem, de renuntiatione, in c. cùm nobis olim, in c. cū dilectus, de elect. vbi approbatur electio facta de minùs digno, imò & ſuperior confirmator electionis tenetur electionē de digno factam approbare & confirmare, vt in c. poſtulaſti, de iure patronatus, in Cōc. Trid. ſeſſ. 24. c. 18. Et ratiò iſtius eſt, quia ſi talis electio non eſſet valida & firma in foro iudiciali, & electus in foro cōſcientiæ tutus, conſequenter dubitaretur de multis miniſtris dignis electis, ſi ſacramenta ab eis adminiſtrata, eſſent valida, cæteraque miniſteria, quæ in Eccleſia ab eis exercentur, firma reputanda. Tùm ſecundò, quia eſſet maxima perturbatio & omnia verterentur in lites, & vnuſquiſque iudicaret ſe digniorem & litigaret contra minùs dignum.

Aduertendum eſt, quòd dixi de iure antiquo, ad oſten-

Digitized by Google

dendum, quòd ſecundùm ius nouum aliter diſpoſitum eſt in Motuproprio Pij V. ſub anno 1566. nam ſi modò electores eligãt ad beneficium curatum minùs dignum, poterit dignior appellare de electione ad ſuperiorem, & ſuperior poterit illam reuocare iuxta determinationem Pij V. Dixi etiam regulariter, ad oſtendendum quoque, quòd de iure antiquo, etiam in aliquo caſu, electio digni, digniore prætermiſſo, poterat per ſuperiorẽ reuocari, & dabatur actio, & ius digniori in aliquibus caſibus ad illud petendum: ita S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. Aragonius d. q. 63. artic. 2. Couarruuias loco ſupra citato, cum alijs. De electione dignæ perſonæ, digniori prætermiſſa, quantùm ad conſcientiam electoris, infra num. 11. dicendum erit.

7 Rurſus de electione loqui poſſumus etiam dupliciter, vel ante factum, vel poſt factum; id eſt, vel antea quàm facta fuerit collatio, ſeu præſentatio beneficij in fauorem ipſius digni, vel poſt ipſam collationem, ſeu præſentationem factam: & ita reducuntur iura oppugnantia in hac re ad inuicem ad concordantiam: nam illa iura, quæ diſponunt in fauorem ipſius digni, intelliguntur, & loquuntur poſt factum, id eſt, poſtquàm ipſa electio facta fuerit. Alia verò iura, quæ diſponunt, quòd electio non eſt facienda de digno, digniori prætermiſſo, intelliguntur & loquuntur ante factum, & ſic iura oppugnantia reducuntur ad concordiam, vt tenet gloſſa in cap. 2. de officio Cuſtodis. Niſi fortè dicamus, quòd ius Canonicum non diſponit, nec præcipit principaliter, dignum eſſe eligendum, ſed tantùm præcipit digniorem, vt in c. licèt, 8. quæſt. 1. cum alijs iuribus infra citandis, ſed tantũ permittit, quòd ſi dignus eligatur, prætermiſſo digniori, valida ſit regulariter electio,

ctio in foro exteriori ad euitanda maiora mala, & ne totus mundus litibus inuoluatur, vt in pręcedenti numero dictum fuit: Ita vt iura, quæ loquuntur in fauorem ipſius digni, ſint, & dicantur iura permiſsiua, & non præceptiua: ita Decius in capit. conſtitutus. 2. de appellatio. num. 13. Ludouicus Molina de primogenijs Hiſpan. lib. 2. cap. 5. nu. 55. cum alijs.

8 Supponimus quartò, quòd in beneficijs & officijs tria reperiuntur. Primum eſt munus, officium, ſeu miniſterium: nam ſunt officia, ſeu beneficia inſtituta in vtilitatem publicam, propter ſeruitium Eccleſiæ, & pro neceſſitate fidelium, iuxta illud commune dictum, *Beneficium eſt propter officium*, & hoc primum eſt laborioſum, & oneroſum, vt reſidere in Eccleſia, perſoluere diuina officia, miniſtrare Sacramenta, paſcere oues, & ſimilia. Secundò reperiuntur in officijs, & beneficijs, redditus, & ſtipendia: iuxta illud Chriſti. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, quia egent miniſtri pro ſuſtentatione vitæ bonis temporalibus, vt qui altari ſeruiunt, de altari viuere debeant. Tertiò reperitur in officijs, & beneficijs, quòd ſint honorifica, & propter hoc plura eorum, dignitates nuncupātur, & præmia laboris, & meritorum: & hæc tria ſupradicta, ita coniuncta ſunt ſimul, vt vnum ab alio ſeparari non poſsit.

9 Ex quo deducitur, quòd in quantum beneficia ſunt miniſteria, officia, & munera, inſtituta pro vtilitate publica fidelium: tenentur electores, & diſtributores de officio ex iuſtitia commutatiua eligere miniſtros vtiliores, text. in c. licèt ergo, 8. quæſtione 1. cum alijs. Similiter, cùm ſint redditus, & ſtipendia debita, tenentur etiam ex eadem iuſtitia commutatiua, præſtantiora beneficia vtilioribus miniſtris, & plus laborantibus,

Digitized by Google

aut laboraturis in vinea Chriſti conferre. Et demùm cùm ſint beneficia, præmia & honores; tenentur electores iuxta regulas propoſitas iuſtitiæ diſtributiuæ ſecundùm merita diſtribuere. Et eſt veluti contractus in hoc ad iuſtitiã commutatiuam pertinens, inter Eccleſiam, & rẽpublicã ex vna parte, & miniſtros officiorum & beneficiorũ ex altera: Eccleſia & Reſpublica pręſtant ſtipendia, & honores pro miniſterijs exhibẽdis, & miniſtri obligãtur ad exhibẽda conuenientia beneficiorũ & officiorum ſuorũ pro ſtipẽdijs & proprijs receptis, ita Aragonius & alij vt ſupra.

10 Supponimus quintò, quòd in præſenti articulo, tantùm tractamus de electoribus illis, qui habent præſentare & eligere de iure communi, vt eſt Romanus Pontifex in toto orbe, Archiepiſcopi & Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, Abbates, & Priores in proprijs Eccleſijs in quibus ſunt ordinarij. De alijs autem, qui habent præſentare ex priuilegio, vt ſunt Patroni, in ſequenti articulo tractandum erit. Nec etiam tractamus, in præſenti de electoribus, qui indignũ vel dignum, dimiſſo digniori, eligunt; ſi teneantur ad reſtitutionem, nam de hoc ſpecialem diſputationem infra inſtituemus: ſed tantùm in præſenti diſputamus, ſi in foro conſcientiæ, & abſque peccato mortali & acceptione perſonarum, poterunt electores eligere dignum, dimiſſo digniori. Et vt certa ab incertis diſtinguantur.

11 Sit prima concluſio. *Electores eligendo, vel præſentando dignum, dimiſſo digniori, ad Epiſcopatum, vel ad beneficia curata, mortaliter peccant, & acceptionem perſonarum cõmittunt.*

Probatur concluſio multipliciter. Primò auctoritatibus diuinis, & clariſsima ſunt teſtimonia in electionibus à Deo factis in veteri, & in nouo Teſtamento. In veteri Teſtamento, Moyſes fuit electus à Deo dux & paſtor, & lauda-

Digitized by Google

laudatur præomnibus alijs, Numer. cap. 12. vbi habetur, quòd *Erat vir mitiſsimus ſuper omnes homines*, & in Leuitic. c. 18. cōſtituitur Aaron, & in c. 1. & 6. & in c. 17. Numer. aſſeritur, Dominum præſtantiſsimum elegiſſe, nam fecit, omnibus Principibus adductis, virgam Aaronis ſolam florere. Et ſimiliter Saul eligitur a Deo in Regem, & de illo habetur Regum 1 c. 9. *Quòd erat electus & bonus, & non erat vir de filijs Iſrael melior illo*, & in cap. 18. Regū eligitur Dauid, & dixit Deus de eo: *Inueni virum iuxta cor meum*. Et in nouo Teſtamento Chriſtus elegit meliorem in Pontificem Petrū, & dixit ei ter, ante quàm eum elegeret: *Diligis me plus his?* Vt oſtenderet ſe eligere digniorem: ergo exemplo Dei in veteri Teſtamento, & Chriſti in nouo, meliores eligēdi ſunt, nam omnis actio Chriſti, noſtrum documentum & exemplum fuit, *Vt quemadmodum ipſe fecit, nos faciamus*, Ioan. c. 13. ergo electores, ad exemplum Dei, digniores eligere tenentur.

12 Accedit ad hoc probandum, auctoritas Conciliorum, & ſanctorum Patrum. In Concilio Baſileenſi, Seſſ. 12. in decreto de electoribus, præcipitur, quòd electores iurent ſe eligendū, quem nouerint digniorem. In Concilio Tridentino, Seſſ. 6. c. 1 & Seſſ. 24 c. 1. & c. 18. de reformatione præcipitur ſingulis electoribus ſub mortali peccato, vt digniores eligant in Epiſcopatibus & in beneficijs curatis: Hoc idem præcipitur in motu proprio Pij V. ſupra citato, & expreſsè continetur in pluribus iuribus, tex. in c. Moyſes, in c. licèt ergo, in c illud. 8, q. 1, in quibus habetur. *Is eligendus eſt qui præſtantior eſt omni populo, qui doctior, ſanctior & omni virtute eminentior*. Hoc idem vult tex. in c. Metropolitano, & in c. fin. 63. diſt. vbi habetur. *Is eligendus eſt, qui eſt optimus omnium*, tex. in c. penultimo, de præbend. in c. in ſacerdotibus, in c. in ordinatio. 61. diſt.

ſimi-

Similiter, tex. in c. 2. de officio Cuſtod. cum gloſſ. text. in c. indecorum, de ætate, & qualitate, vbi dicitur, illum eſſe aſſumendum, *Qui diſcretione præemineat, & exemplo vitę præfulgeat*, text. in c. conſtitutus, de appellat. in c. niſi cùm pridem, §. ne pro defectu, de renuntiatione, in c. viliſsimus, 1. quæſt. 1. Et de iure ciuili, tex. in authentic. de Sanctiſ. Epiſc. §. 2. §. ſi quis oratorium, in l. honores, ff. ad municip. in l. præſenti, § quod in finibus, C. de his qui ad Eccleſ. & eſt communis doctrina Sanctorum Patrum, Auguſt. Chryſoſt. Bernard. Ioan. Pap. in dict. c. Metropolitanum, Hieronymi, in dict. c. Moyſes, Innocentij in c. vnico, vt Eccleſiaſtica beneficia, S. Thomæ 2. 2. q. 63. art. 2. & q. 185. art. 3. & aliorum.

13 Probatur tertiò concluſio validiſsimis rationibus. Et prima eſt, quia diſtributor prætermittens digniorem, facit contra fidelitatem iuſtitiæ commutatiuæ, & diſtributiuæ: contra commutatiuam, quia diſtributor cùm non ſit dominus beneficiorum, ſed adminiſtrator, & diſpenſator, tenetur ex officio, & ex fidelitate debita Chriſto, Eccleſiæ, & Reipublicæ, conſulere vtilitati illius vacantis, & id cùm non faciat eligendo dignum, prætermiſſo digniori, peccat mortaliter. Quòd lædatur etiã iuſtitia diſtributiua, patet ex eo, quia illa exigit, vt præmia, & bona communia diſtribuantur ſecundùm merita, quando autem præfertur dignus digniori, non attenditur tunc ad merita: ergo tunc violatur etiam iuſtitia diſtributiua, & ſic mortale peccatum committitur. Tùm ſecundò, quia acceptio perſonarum contingit, quoties vnus præfertur alteri ob cauſam indebitam: ſed nulla cauſa debita poterit eſſe, vt dignus digniori præferatur: ergo tunc acceptio perſonarum committitur, & conſequenter peccatũ mortale. Tertiò, quia, vt dictum eſt, electores nõ ſunt domini bene-

beneficiorum; ſed adminiſtratores, & diſpenſatores, vt ait D. Paul. ad Corint. c. 4. ſed adminiſtrator, & diſpenſator debet eſſe fidelis, vt ait idem Paulus: *Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fideles inueniantur*: non erit fidelis œconomus, qui cùm poſsit eodem ſtipendio, optimos, & vtiliores operarios, in vineam domini ſui adducere, conduceret minùs vtiles: ergo mortaliter peccat. Tùm denique, quia quoties de aliqua re ſunt duæ opiniones contrariæ, & vna eſt communior, tutior, & probabilior alia: quę cõmunior, tutior, & probabilior eſt de neceſsitate ſequenda eſt, vt infra diſputatione vltima patebit. Et quòd noſtra ſententia ſit communior, fatentur quàm plurimi Doctores, inter quos Dominicus, in dict. c. licèt ergo 8. q. 1. Quòd ſit tutior, patet ex eo, quia in ea nullum poterit eſſe peccatum, ſicut eſt mortale peccatum expreſsè in contraria opinione. Quòd ſit probabilior, euidenter colligitur, nam ea nititur, & fundatur firmiſsimis, & validiſsimis rationibus, & auctoritatibus: ergo firmiter tenendum erit, quòd eligere dignum, digniori prætermiſſo, in ſupradictis caſibus mortale peccatum eſt.

14 Fulcitur quartò ſupradicta concluſiò ex communi doctrina, & auctoritate grauiſsimorum Doctorum, qui eam tenent: inter alios Sanct. Thom. 2. 2. quæſt. 63. artic. 2. & quæſt. 185. artic. 3. & quodlibet. 4. artic. 15. & quodlibet. 6. artic. 9. & quodlib. 8. artic. 6. Diuus Antoninus, 2. par. tit. 1. c. 20. §. 1. Alexander Alenſ. 2. part. quæſtio. 136. in. 2. Lyran. ſuper c. 21. Ioannis, Ricard. Maior, & alij in 4. Adrian. in quæſt. de reſt. Caietan. ſuper Sanct. Tho. locis citatis, Syluester, verbo electio, Aragonius, Bañez, Salon, & alij in dict. q. 63. art. 2. Valentia to. 3. diſp. 5. q. 7. §. 2. ex Iuriſperitis Couarru. 2. p. in reg. peccatum, §. 7. nu. 3. Lambertinus de iure patronat. lib. 2. p. 1. q. 10. art. 3. Dominicus in d.

c.licèt ergo, Abb.in c. conſtitutus 2.de appellat.n.7.Dec. in eod.c.nu. 6. Archidiaconus in d.c.licèt, Philipp.Frãcus, Felinus & alij, quos refert Couarru.loco ſupra citato.

15 Ex dictis ergo deducitur, primò, quòd eligere dignum in Epiſcopatibus, & in beneficijs curatis, prætermiſſo digniori, peccatum mortale eſt. Ex quinque capitibus. Primò, quia ita determinatum eſt in Concilio Tridentino, dict. Seſſ.6.c.1.& Seſſ.24.c.1.& 18 Secundò, quia fit contra vtramque iuſtitiam, commutatiuam, & diſtributiuam, quod eſt mortale peccatum. Tertiò, quia fit iniuria contra Eccleſiam, & contra digniorem, quod etiam eſt mortale peccatum. Quartò, propter vitium acceptionis perſonarum, quod committitur, idque ex ſe mortale peccatum eſt. Quintò quia eligitur opinio minùs communis, minùs probabilis, & minùs tuta: relicta opinione communiori, probabiliori, & tutiori, quod etiam eſt peccatum mortale. Hæc omnia peccata committuntur, ab electoribus, quoties in ſupradictis caſibus eligunt dignum, dimiſſo digniori.

16 Deducitur ſecundò, quòd non benè opinantur illi, qui dicunt, eligere digniorem eſſe conſilium. Imò dico, quòd eſt præceptum poſitiunm, diuinum. & naturale: & ratio eſt, quia ea, quæ ſunt de conſilio, non imponitur eorum obſeruantia ſub pondere, & obligatione aliqua, ſed liberè relinquuntur hominis arbitrio: & eligere digniorem in ſupradictis caſibus, ſub pondere peccati mortalis compelluntur electores à Concilio Trident. locis citatis: ergo præceptum eſt poſitiuum, naturale, & diuinum, vt ſupra oſtenſum eſt, nu. 11 & 13.

17 Monentur ob id electores à Sanctis Patribus, vt in Epiſcopatibus, & beneficijs curatis maximè vigilent digniores promouere, nam dum inſpicitur, quòd humano

reſpe-

Digitized by Google

reſpectu conferuntur ſupradicta, auertunt bonos, & ſtudioſos à ſtudio, & à virtute, generaturque ſcandalum, & perturbatio inter homines, cùm meritorum ratio non habetur, vbi habenda eſt, daturque occaſio, vt plus in humana negotiatione confidant homines, quàm in proprijs meritis, & dignitate: præbeturque materia, & licentia hæreticis, qui adeò proterui ſunt, vt Eccleſiaſticos miniſtros irrideant tanquam non idoneos ad munera, & ad curam animarum exercendam, conſtitutos. Quare timoratè inſpiciant Conſiliarij, & Conſultores, quibus hoc munus à Principibus, & Prælatis iniunctum eſt, & præſertim, cùm eorum conſcientia oneratur, vt in conſultationibus eorum, meritis priùs perſonarum fideliter inſpectis, ſummo Principi, quos nouerint digniores, proponant, idque ea fidelitate gerere tenentur, vt ipſi Principes, inſpecta ſuorum miniſtrorum ſolicitudine, & fidelitate, maiorem eis, in his, & in alijs fidem adhibeant, ita vt non alios, præter eos, qui à ſuis Conſiliarijs proponuntur, eligendos intelligant. Nam cum iuramento ſub periculo ſalutis æternæ à Deo diſtributore, eis talis cura iniuncta eſt. Nonne contra iuramentum, iuſtitiam, & fidelitatem debitam faciunt illi, qui in hoc, neque Deo ſeruiunt, neque ſuperioribus eorum obtemperant, neque Reipublicæ, & Eccleſiæ, de ſibi neceſſarijs miniſtris, vtilioribus prouident, ſi minùs digni, dignioribus præferantur, quia potentiores, diligentiores, vel quia fauoribus accumulati ſunt, & hi, qui, ætate, prudentia, literis, & magis accõmodati, vt Deo, Eccleſiæ, & Reipublicæ, magis dignum præberent famulatum, in conſultationibus eorum, vel non fideliter, vel tacita veritate, ſeu ſuggeſta falſitate deſcribuntur, ſeu toties, vel multoties indebitè poſtponuntur?

Digitized by Google

18 Sit ergo ſecunda concluſio. *Communior, tutior, & probabilior ſententia eſt, quòd non ſolùm in Epiſcopatibus, & beneficijs curatis, ſed etiam in alijs beneficijs, non licet dignum digniori præferre.*

Probatur concluſio, quia vbi militat eadem ratio, eadem iuris diſpoſitio militare debet, vt in l. illud, cum glo. ff. ad l. Aquiliam, in l. 1. §. hoc interdictum, ff. de fonte, ſed omnia alia beneficia & bona communia ſunt præmia & honores: ergo ſecundùm eaſdem leges iuſtitiæ diſtributiuæ conferenda erunt. Tùm ſecundò, quia iura ſupra citata nu. 12. generaliter loquuntur in omnibus beneficijs Eccleſiaſticis. Tenent hoc ferè communiter Doctores, inter quos Nicolaus de Lira, ſuper illud Ioan. c. 20. *Simon diligis me?* Alenſ. 2. p. q. 136. Maioris in 4. diſtinctione 24. q. 8. & 9. Bañez de iuſtitia & iure d. q. 63. ar. 2. dub. 5. cum alijs.

19 Nec obſtat, ſi illicò contra hoc dicatur, quòd vſus & conſuetudo Prælatorum in contrarium eſt, qui frequenter eligunt dignum, digniori prætermiſſo, & ratio eorum eſt, quia prædicta beneficia ſunt tantùm conſtituta ad ornatum Eccleſiæ, & parum ſcientiæ & induſtriæ in eis requiritur. Nam reſpondetur multipliciter. Primò, quòd ex hoc negari non poteſt, quin omnia beneficia ſint bona communia, quę ſecundùm leges iuſtitiæ diſtributiuæ pro meritis diſtribuenda ſunt, & quòd maiora merita reperiũtur in dignioribus, quàm in dignis. Secundò reſpondetur, & negamus, quòd in Prælatis timoratis talis vſus & cõſuetudo reperiatur, nam non iudicandum, & operandum eſt ſecundùm exempla aliorum, ſed ſecundùm iura, vt in l. nemo, C. de ſentẽt. & inter. in c. dixit Dominus 14. q. 2. in c. cùm cauſam. de electione, nec talis vſus & conſuetudo in hoc valere debet, cùm ſit cõtra bonos mores, & repug-

net

net rationi, vt in c.2. de probatio. cum glo. in c. cùm venerab.lis, de conſuetud. in c. fin. 11. diſt. Imò mala conſuetudo eſt radicitus extirpanda, vt in c. conſuetudo, 8. diſtin. in cap. fin. de conſuetud. in l.2. C. quæ ſit longa conſuetudo, cum alijs.

20 Quibus ſic conſtitutis, non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum deſumptum ex auctoritate D. Pauli: nam reſpondetur, quòd licèt D. Paulus in prędictis locis non loquatur expreſſè, comparatiuè, ex modo tamen loquendi illius ſatis colligitur, eligẽdum in Epiſcopum debere eſſe, inter alios digniorem, maximè cùm dicat, Epiſcopum debere eſſe irreprehenſibilem, ſine crimine, bonumque habere teſtimonium, etiam ab his qui foris ſunt, qui niſi eſſet præſtantiſsimus, hæc omnia ei conuenire non poſſent, & ſic ſoluitur primũ argumentũ.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd electores non tenentur quærere metaphyſicè præſtãtiores miniſtros, qui in orbe reperiri poſsint, ſed digniores ex his, quos habent in promptu, vel in quantùm commodè, & moraliter arbitrio boni viri id fieri poterit, vt tenet Aragonius vt ſupra, & ſoluitur ſecundum argumentum.

Non obſtat tertium, quòd Romanus Pontifex non eſt dominus beneficiorum, ſed diſtributor, & diſpenſator, vt ait D. Paul. ad Cor. c. 4. nam nec in d. c. 2. de præbẽdis, nec in Clem. hoc continetur, nec vllus fuit vnquam Põtifex, qui ſe dominum beneficiorum vocauerit, & ſic fateor, quòd ſi Romanus Pontifex eligat Petrum dignũ in Epiſcopum, dimiſſo Ioanne digniore, quòd valida erit electio in foro iudiciali, & quòd tutus erit Petrus in foro conſcientiæ, non tamẽ excuſatur à peccato elector, qui in pręſentia dignioris eligit dignum, prout ſupra num. 6. dictum fuit, & ſoluitur tertium argumentum.

Non obſtat quartũ, quòd non militat ſimilitudo de electore, & de illo, qui renuntiat, vel reſignat beneficiũ proprium in fauorem alicuius: nam electores cùm ſint perſonæ publicæ, tenentur ex officio, & ex fidelitate debita Chriſto, & Eccleſiæ diſtribuere bona communia, ſecundùm merita iuſtitiæ diſtributiuæ: renuncians, vel reſignans, cùm non ſit perſona publica, ſed priuata, ad id non tenetur, & ſoluitur quartum argumentum.

Non obſtat quintũ argumentum deſumptum ex pluribus iuribus, nam reſpõdetur, quòd prædicta iura loquuntur, & intelliguntur, quantùm ad hoc, quòd electio digni impugnari non poterit in foro iudiciali, ſed quantùm ad conſcientiam electoris tenetur digniorem eligere: vel loquuntur poſt factum, & non ante factum: vel ſunt iura permiſsiua, vt ſupra num. 7. dictum fuit, & ſoluitur quintum argumentum.

Non obſtat ſextum argumentum, nam reſpondetur negando paritatem rationis, ſeu ſimilitudinem de electore, & confirmatore electionis: nam confirmator electionis, verè ipſe non eligit, vel diſtribuit, ſed ſolùm eſt, quaſi ſuperintendens, ſupponens diſtributionem beneficij iam factam, præſertim in caſibus permiſsis, quam tenebatur confirmare, etiam quòd factum fuerit digniori prætermiſſo, aliter ab eo appellatur: ſed hoc intelligitur, quando vnus tantùm fuit ei præſentatus ad beneficium, nam ſi plures ſint, tenetur tunc ex eis digniorem eligere, nam tunc non ſolùm eſt confirmator, ſed vicem habet eligentis, & ſic ſoluitur argumentum & articulus.

(∵)

SVM-

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli, nu. 1.

Proponuntur tria argumenta ad probandum, patronum non teneri ad præſentandum digniorẽ, n. 2.

Conſtituitur opinio Lambertini, nu. 3.

Patronus alius eſt Eccleſiaſticus, & alius laicus, declaratur, nu. 4.

Oſtenditur, quibus modis ius patronatus acquiratur, nu. 5.

Reſpondetur ad difficultatem, quæ proponitur, nu 6.

In aliquibus beneficijs datur cõcurſus, & in aliquibus quaſi concurſus, & declaratur, nu 7.

Conſtituitur prima concluſio & probatur, num. 8.

Conſtituitur ſecunda concluſio, & probatur, nu. 9.

Satisfit argumentis propoſitis, nu. 10.

ARTICVLVS. VI.

1 *Vtrùm patroni teneantur præſentare digniorem.*

2 PRo parte negatiua argumentor, & probo, patronos non teneri præſentare digniorem, ſic. In c. monaſterium 16. q. 7. dicitur, quòd qui monaſterium, vel oratorium conſtruxerit ex proprijs bonis, poterit ei eligere presbyterum, quem voluerit, dummodò malus non ſit: ergo patroni non tenentur præſentare digniorem.

Secundò argumentor ſic: laicus ideo habet ius præſentandi, quia conſtruxit, fundauit, vel dotauit Eccleſiam de proprijs bonis, vt in Cõcil. Trid. Seſſ. 25. c. 9. de reformatione, Abb. in rub. de iure patronat. gl. in c. piæ mentis. 16. c. 7

ergo

ergo patronus poterit iſta ſua propria bona applicare, cui voluerit, dummodo dignus ſit, quia in re ſua, quilibet eſt moderator, & arbiter, & ſic non tenetur præſentare digniorem, ſed poterit præſentare dignum. Tertiò, in Concilio Trident. Seſſ. 24. c. 18. de reformatione conſtituitur diſcrimen inter patronos laicos, & patronos Eccleſiaſticos, & dicit, *Quòd Eccleſiaſtici patroni debent examinare, & per ſe eligere meliorem: laici autem, quòd præſentent nominatum ipſi Epiſcopo, qui idoneum approbet*: ergo patroni laici ſaltim, vt priuilegiati, nec tenentur præſentatum examinare, nec digniorem eligere, ſed ſufficit eligere dignum.

3 Sed anteaquàm concluſiones conſtituamus, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd propter hæc argumenta Lambertinus de iure patronatus, lib. 2. par. 1. quæſt. 10. art. 3. & nonnulli alij Doctores affirmant, patronos non teneri ad præſentandum digniorem, ſed ſatis eſt præſentare dignum: & videtur hæc ſententia non omnino improbabilis, loquẽdo de ſimplicibus beneficijs, & de patronis laicis, qui habent ius patronatus, ſolùm, quia cõſtruxerunt, fundarunt, vel dotarunt Eccleſiam de ſuis bonis proprijs: ſed de patronis laicis illis, qui hoc priuilegio gaudent, ex ſola Romani Pontificis conceſsione, durum mihi videtur.

4 Supponimus ſecundò, quòd patronus alius eſt Eccleſiaſticus, & alius laicus. Patronus Eccleſiaſticus eſt ille, cui conceditur eſſe patronum, ex eo quòd ex bonis Eccleſiaſticis fundauit, conſtruxit, vel dotauit Eccleſiam: & ſimiliter ille, qui ratione dignitatis ſuæ Eccleſiæ habet, vt ſit patronus: & eodem modo, ſi habet hoc ius præſentandi, vt Decanus, vel Abbas alicuius Eccleſiæ, vel ex alio Summi Pontificis priuilegio: ſi autem fundauit, conſtruxit, vel

Digitized by Google

dotauit Eccleſiam de proprijs bonis, etiam quòd ſit Clericus, & Eccleſiaſtica perſona, vt patronus laicus reputatur. Patronus laicus dicitur ille, qui ex bonis proprijs Eccleſiam fundauit, conſtruxit, vel dotauit: ita tenēt glo. in Clemēt. 2. de iure patronatus, Abbas Panormitanus in c. cam, ex. eodem tit. cum alijs.

5 Supponimus tertiò, quòd ius patronatus multipliciter acquiritur, tam per laicos, quàm per Clericos: fundatione, dotatione, & conſtructione. Fūdatione, quia fundum dedit patronus pro ædificatione Eccleſię, vt in c. nobis, de iure patronatus: Dotatione, quia dotauit eam, vt in c. quicunque, eodem tit. Cōſtructione, quia ædificauit illam, vt in d. c. monaſteriū 16. q. 7. glo. in c. piæ mentis 16. quæſtione 7. Acquiritur etiam multiplicatis præſentationibus, per tempus, quod memoriam hominum excedat, vt in Concilio Trident. Seſſ. 25. c. 9. de reformatione, & in locis ſupra citatis. Vel etiam ex conceſsione Romani Pontificis, nam Eccleſia, quæ ab initio erat libera, nulli patrono ſubiecta, vt meliùs defenderetur ab aliorum iniurijs, Romanus Pontifex adoptauit illi patronum, & hoc modo multi Principes ſæculares conſequuti ſunt ius patronatus in Eccleſijs Cathedralibus, in dignitatibus, & alijs beneficijs, non quia ipſi, vel eorum maiores fundauerunt, vel dotarunt Eccleſias, ſed fundatas, & dotatas receperunt, vel ex bonis Eccleſiaſticis, vel ex decimis, vel ex fructibus bonorum Eccleſiarum, vel ex eleemoſynis fidelium, vel opulentum hominum patrimonijs, qui ſe ſuaque omnia Eccleſiæ, vel monaſterio conſecrarunt.

6 Supponimus quartò, pro reſolutione difficultatis, quæ eſt, an patronus, qui de proprijs bonis fundauit, dotauit, vel conſtruxit Eccleſiam cum hac conditione,

quòd beneficium ſemper conferatur alicui ex ſua familia, qui fuerit dignus, & non alijs extraneis ab ea, etiam, quòd digniores reperiantur, dummodò dignus in ſua familia reperiatur. Sotus dicit, quòd ſi inſtitutio iſta habeat annexam curam animarum, vel gubernationem, tunc iniquiſsima eſt conditio, & reijcienda erit, quatenus obſtat, ne dignior eligatur: ſecus eſſet, ſi inſtitutum beneficium, nō haberet curam animarū, vel gubernationē annexā, nam tunc ſatis eſſet inter dignos deſignatos à fundatore, & vocatos, digniorē eligere, vt vſus, & ratio frequēter oſtendunt: ita Sot. lib. 3. de iuſtit. & iur. q. 6. art. 2. cōclu. 9.

7 Supponimus quintò, quòd inter alias differentias, quæ reperiuntur inter patronum Eccleſiaſticum, & laicum, vna eſt, quòd in beneficijs diſtribuendis per patronum Eccleſiaſticum, datur oppoſitio, concurſus & examen de iure poſitiuo, & probationes, & teſtium receptiones, prout qualitas beneficiorum requirit. Patronus autem laicus non tenetur præſentatos examinare, prædicta examinatione poſitiua, ſed alio concurſu, & examine de iure naturali, quod dicitur ad cōcurſum, vel quaſi concurſum: nam tenentur diſtributores aliquam diligentiam adhibere, vt merita perſonarum cognoſcantur ab eis, quibus officia, vel beneficia conferenda ſunt, & ad hoc deſeruiunt informationes in vacationibus occurrentibus prædictis, quæ deinde remittuntur ad ſuprema Cōſilia, in quibus de collationibus, & præſentationibus officiorum, & beneficiorum agitur, & aliæ inquiſitiones, quæ à Senatoribus ex officio, & de ſecreto fieri ſolent, ad indagandum, ſi in concurrentibus, ad prædictas vacationes, adſint partes, & conditiones requiſitæ, ſeruitia propria, vel ſuorum prædeceſſorum, & alia, antea quàm conſultatio facta fuerit cum Principe.

His

8 His ſuppoſitis, ſit prima concluſio. *Patronus eligens dignum dimiſſo digniori, ad Epiſcopatum, vel ad beneficia curata, mortaliter peccat, & acceptionem perſonarum committit.*

Probatur cõcluſio ex Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 1. & Seſſ. 24. c. 1. & c. 18. de reforma. vbi generaliter dicitur: *Omnes, qui habẽt quodcumq; ius, ad præſentationem Epiſcoporũ, tenentur ſub mortali peccato procurare diligenter, vt dignior promoueatur.* Hoc idẽ aſſeritur de eiſdẽ beneficijs, in Motu proprio Pij V. ſupracitato. Et ratio eſt, quia ſi Romanus Pontifex, aut Prælati huiuſmodi beneficia dignioribus tenentur conferre: ergo ad idem quoque patroni tenentur, cùm ipſi quantùm ad præſentationem, ſuccedant in locum Romani Pontificis, & Prælatorum, vt tenent communiter Doctores, qui infra in ſequenti concluſione citandi erunt, & quæ in præcedenti articulo dicta ſunt, repetita cenſeantur in præſenti.

9 Secunda concluſio. *Probabilior, & tutior ſententia eſt, quòd patroni laici, etiam teneantur præſentare digniores in reliquis beneficijs.*

Probatur concluſio, nam Romanus Pontifex nõ concedit patronis laicis plus quàm ipſe habet, & poteſt per ſe ipſum, ſed Romanus Pontifex non poteſt in foro conſcientiæ in præſentia dignioris, ex lege iuſtitiæ diſtributiuæ eligere dignum, dimiſſo digniori: ergo neque poterunt ipſi patroni. Tum quia patronus eſt miniſter ipſius Pontificis, & ſuo modo eſt diſpenſator beneficiorum, vt ait Abb. in c. nobis, de iure patronat. Et ſic vterque tenetur ſequi voluntatem veri domini, ſcilicet Chriſti. Et ſicut œconomus, ſeu diſpenſator alicuius Principis, qui optimos ſeruos eodem ſtipendio in ſeruitium domini ſui poterit adducere, & nõ adducit, reus erit, vel fractę fidei,

aut neglectæ prudentiæ: ita erit dicendus patronus, ſi indignum, dignioribus prætermiſsis, elegerit, vel præſentauerit, vt tenent Bañez de iuſtitia & iure, quæſt. 63. artic. 2. dub. 4. Aragonius dict. quæſtio. 63. artic. 2. concluſione 3. Couarruu. 2. part. in reg. peccatum, § 7. num. 5. Federic. conſ. 95. cum alijs.

10 Quibus ſic conſtitutis, non obſtant in contrarium adducta argumenta. Non primum deſumptum ex dict. c. monaſterium; nam reſpondetur multipliciter. Primò, quia ibi fuit electus dignus, nam alius dignior in monaſterio non fuit repertus, & ſic electus, in dict. c. inter alios dignior erat, vt tenet gloſſ. in c. licet ergo 8. quæſt. 1. Vel reſpondetur ſecundò, quòd in dict. c. continetur, quòd præſentatio facta de digno, non erit reuocanda in foro exteriori: ita vt dignus electus tutus ſit in dicto foro, & in foro conſcientiæ. Non autem propter hoc patronus præſentans excuſatur à peccato mortali; nam prædicta lex erat permiſsiua, vt ſupra in præcedenti articulo dictũ fuit, & notat Bañez, & Couarru. locis ſupra citatis, & ſic ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum ex dict. l. in re mandata: nam reſpondetur, quòd licet Eccleſia fuerit fundata, conſtructa, vel dotata ex proprijs bonis ipſius patroni: poſtquàm autem fundata, & dotata fuit, tranſierunt prædicta bona in bona communia, & non ſunt amplius ipſius patroni, ac ſubinde ſecundùm regulas iuſtitiæ diſtributiuæ, Eccleſiæ præſentandæ, & conferendæ erunt, & ſoluitur ſecundum argumentum.

Non obſtat tertium deſumptum ex Concilio Trident. dict. Seſſ. 24. c. 18. nam Reſpondetur, quòd Concilium in dict. Seſſ. citata, non explicat qualiter ſe gerere debeat Patronus laicus in inſtitutione miniſtri, ſicut hoc facit

apertè de patrono Eccleſiaſtico: & hoc factum fuit ab ipſo Cōcilio varijs rationibus. Primò. Vt locum daret opinionibus probabilibus, quod ſæpe faciunt Concilia, præ- ertim, in his, quorum definitio non eſt neceſſaria ad bonum vniuerſale Eccleſiæ. Secundò. Ne ex illa declaratione grauarētur patroni laici, quorū priuilegia Eccleſia, amplificat, propter eorum pia obſequia, & ne daretur etiam locus litibus, quæ inſurgerent in præſentationibus beneficiorum, & propter hoc Concilium dixit tantùm his verbis de patronis laicis, quòd *præſentent nominatum ipſi Epiſcopo, qui idoneum approbet.* Nec propter hoc, nec ex verbis iſtis Concilij colligi poteſt, quòd non teneātur in foro conſcientiæ patroni laici ſeruare leges iuſtitiæ diſtributiuæ in præſentationibus eorum, ſicut à nobis dictum fuit in præcedenti articulo. Et ſoluitur argumentum, articulus, & diſputatio prima.

(:::)

DE

DE ACCEPTIONE PERSONARVM IN officijs ſæcularibus.

DISPVTATIO ſecunda.

IN TRES ARTICVLOS diuiſa.

In hac tertia diſputatione, agitur de officijs ſæcularibus diſtribuendis.

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum arciculi, nu. 1.
Proponuntur tria argumenta contra quæſitum, numer. 2.
Refertur opinio Adriani, & aliorum, nu. 3.
Diſtributores officiorum ſunt in triplici differentia, nu. 4.
Conſtituitur concluſio, & probatur, nu. 5.
Rex habet domininm officiorum, ſicut Reſpublica habebat, & in quo differant, nu. 6.
Satisfit argumentis propoſitis in principio nu. 7.

ARTI-

ARTICVLVS I.

1 *Vtrùm Rex, ſeu Princeps abſolutus habeat dominium officiorum ſæcularium.*

2 PRimò, pro parte negatiua argumentor ſic. Illam iuriſdictionem habet Rex in Republica temporali, quam habet Romanus Pontifex in Eccleſia in ſpiritualibus: ſed Romanus Pontifex non eſt dominus beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſed merus adminiſtrator, vt patet auctoritate D. Pauli ad Corint. cap. 4. ergo nec Rex eſt dominus officiorum temporalium, ſed adminiſtrator.

Secundò: Nullibi legitur, Rempublicam tranſtuliſſe dominium iſtorum officiorum in Regem: ergo Rex, nec eſt dominus, nec dominium illorum habet.

Tertiò. Si Rex haberet dominium iſtorum officiorum in ſuo Regno, haberent illud quoque magnates in ſuis terris, nam cùm Rex concedit illis dominium illorum oppidorum, transfert in eis ius, quod ipſe habet, & vtramq; iuriſdictionem, ciuilem, & criminalem, vt patet ex titulis donationum illis conceſſis, ſed iſti Magnates non habent dominium horum officiorum, vt ex conſenſu communi omnium patet: ergo neque Rex illud habet.

3 Sed anteaquam concluſionem conſtituamus, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd Adrianus in 4. fol. 58. & alij apertè fatentur, Reges, neque Magnates eſſe dominos horum officiorum, ſed tantùm adminiſtratores, nituntur rationibus adductis in ſupradictis argumentis.

4 Secundò ſupponimus, quòd illi, ad quos ſpectat officia Rei-

Reipublicæ diſtribuere, ſunt in triplici differentia: quidam enim ſunt, qui plenam habent poteſtatem ſuper ipſam Republicā, quales ſunt Reges, Imperator, & alij Principes, qui ſuperiorem non recognoſcunt. Alij ſunt, qui ab ipſis Regibus, & Principibus in ſupremo loco conſtituti ſunt, qui vice, & nomine eorum, inferiores miniſtros & aliqua officia eligunt, quales ſunt, Proreges, Senatores ſupremi Conſiliorum. Alij denique ſunt Magnates, & cęteri domini oppidorum ſuorum, qui Regibus & Principibus ſupradictis ſubditi ſunt: inter quos electores hec eſt diſcrimen, quòd Rex, ſeu Princeps, qui ſuperiorem non recognoſcunt, non ſunt veluti diſpenſatores, aci tanquam Reipublicæ vicarij, ſicut Venetorum Dux, qui ſemper eſt à Republica pendens: ſed ſunt domini, ſicut & ipſa eadem Reſpublica fuit, æqualem poteſtatem habentes, ſicut ipſa habebat Reſpublica antea quam omne ſuum imperium, & dominium in ipſos Principes, ſeu Reges tranſtuliſſet. Proreges verò, Senatores, & alij, qui ex mandato Regis, ſeu Principum, officia conſtituere poſſunt, non ſunt domini, ſed diſpenſatores, quibus in omnibus neceſſe eſt voluntatem dominorum, in diſtributione dictorum officiorum ad vnguem ſeruare. Alij autem Magnates, & domini particularium oppidorum, non ſunt abſoluti domini officiorum, ſed habent dominium illorum, non merum & plenum in iſtis officijs, ſicut ipſe Rex, ſeu Principes ſupradicti, ſed quodammodò quoque diſpenſatores nuncupantur, ita Aragonius. q. 63. art. 2. Sotus de iuſt. & iur. lib. 3. art. 4.

5 His conſtitutis, ſit cōcluſio: *Reges, ſeu Principes, qui ſuperiorē non recognoſcunt, dominiū habēt officiorū ſecularium.*

Probatur concluſio, quia Reſpublica trāſtulit omnem ſuam poteſtatem & imperium in Principem, quapropter transla-

tranſlatum eſt conſequenter dominium iſtorum officiorum, quibus dominabatur ipſa reſpublica. Patet etiam, authoritate plurimorum Doctorum, inter quos Sanctus Thomas opuſ. 21. ad Ducissam Brabantiæ, dubio 5. Sotus de iuſtitia, & iure, lib. 6. art. 4. Caietan. in ſumma verbo officia ſæcularium, Baldus in l. Barbarius, ff. de officio præt. quem ſequuntur plures Iuriſconſulti, & late tractat de hoc Guillermus Benedictus, & colligitur ex l. 1. ff. de conſtitut. Princip. Bañez 2. 2. quæſtion. 63. artic. 2. cum alijs.

6 Aduertendum, quòd aliter Rex habet dominium horum officiorum, & aliter habebat Reſpublica: nam Reſpublica habebat à principio dominiũ independenter à ſe ipſa, & abſolutè; Rex autem habet illud à Republica, ac ſub inde, cũ depẽdentia, & ſub certis legibus implicitis, & virtualibus, videlicèt, vt diſpẽſet, & diſtribuat illa officia ſecũdùm vtilitatem Reipublicæ, & non pro ſua voluntate, ita Bañez, d. q. 63. art. 2. dub. 6. cum alijs ſuprà citatis.

7 Non obſtant in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd maxima differentia verſatur inter Regem, & Romanum Pontificem: nam Romanus Pontifex, non eſt dominus beneficiorum, quia dominium reſidet immediatè in Chriſto, à quo deriuata fuit poteſtas conferendi in ipſum Romanum Pontificem diſpenſatorem beneficiorum. In bonis autem temporalibus cuiuſcunque generis, dominium eorum, primò, & per ſe modò eſt tranſlatum à Republica in Regem, prout declaratum eſt, & ſic non currit comparatio in argumento, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, negando antecedens, facilè enim conſtat, dominium officiorum tranſlatum eſſe in Regem, vt in l. 1. ff. de conſtitutioni-

Ee bus,

bus, prout declaratum eſt, & ſoluitur ſecundum.

Nec obſtat tertium: nam reſpondetur, quòd Magnates non habent dominium merum, abſolutum, & indepēdens officiorum ſuorum oppidorum à Republica, ſed ſolū tranſlatū fuit, vt ſic à Republica in Regem, & quando Rex concedit oppidum magnatibus, non transfert omne dominiū abſolutum in eos, ſed moderatum, & ſic ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum, n. 1.
Proponuntur tria argumenta, n. 2.
Officia ſæcularia proportionem habent cum beneficijs Eccleſiaſticis oſtenditur, n. 3.
Officia ſæcularia conſerri non poſſunt indignis, n. 4.
Officia in Republica ſunt in triplici differentia, n. 5.
Conditiones, quæ requiruntur, vt quis idoneus cenſeatur ad iſta officia oſtenduntur, n. 6.
Conſtituitur concluſio, & optimis rationibus probatur, n. 7.
De quibus officijs loquimur in concluſione, oſtenditur, n. 8.
Satisfit argumentis propoſitis, n. 9.

ARTICVLVS II.

1 *Vtrùm in diſtributiones officiorum poſſit contingere peccatum acceptionis perſonarum.*

2 PRo parte negatiua primò argumentor ſic. Reſpublica habet horum officiorum, & in ſtipendis pro ipſis aſsignatis,

natis, dominium: ſed omnem ſuam poteſtatem in Regē tranſtulit: ergo od id, cū ſint bona libera, Rex abſque peccato acceptionis perſonarum, illa conferre poterit.

Secundò. Iſta officia, communia bona ſunt, & non debita ciuibus, neque inſtituta ſunt in commodum illorum, ſed in commodum Reipublicæ: ergo non ſunt diſtribuēda attentis meritis perſonarum.

Tertiò. Diuus Paulus 1. ad Corinth. c. 6. ait: *Contemptibiliores, qui ſunt in Eccleſia, ipſi deputati ſunt ad iudicandum*: ergo electores non tenentur ad magiſtratum eligere digniores, & multò minùs ad alia officia.

3 Sed anteà quàm concluſio conſtituatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd officia ſæcularia proportionem habent cum beneficijs Eccleſiaſticis, quantùm ad hoc, quòd ſicut in beneficijs reperiuntur illa tria, ſcilicet munus, ſtipendium, & honor: ita eodem modo iſta reperiuntur in officijs ſæcularibus. Reperitur primò munus, ſeu miniſterium, propter quod fuit inſtitutum officium in vtilitatem Reipublicæ. Secundô reperitur redditus, ſeu ſtipendium officij, inſtitutum pro ſuſtentatione miniſtri. Tertiò reperitur honor, nam ſunt honorifica pręmia honeſtorum virorum, & ſapientum: & iſta tria ſunt, ita coniuncta ſimul in officijs, quôd ſeparari non poteſt vnū ab alio. Ex quo deducitur, quòd in quantùm iſta officia ſunt principaliter inſtituta pro bono publico, tenētur electores de iuſtitia eligere miniſtrum vtiliorem, nam quilibet tenetur Rempublicam diligere, & adiuuare. Secundò, in quantùm ſunt ſtipendia debita ſuſtentationis, conferenda ſunt ex iuſtitia commutatiua vtilioribus miniſtris, & plus laborantibus in Republica. Et tandem, in quantùm ſunt præmia, & honores, licèt ſecundariò ad hoc inſtituta, tenentur diſtributores, iuxta regulas

Digitized by Google

diſtributiuæ iuſtitiæ pro meritis diſtribuere, prout à nobis copioſè dictum fuit in præcedenti diſputatione de beneficijs Eccleſiaſticis.

4 . Secundò ſupponimus, quòd quamuis iſta officia ſint purè ſæcularia, non tamen abſque peccato mortali, & acceptione perſonarum conferri poſſunt indignis, malis, & publicis peccatoribus, quantumuis polleãt ſcientia, & induſtria: & peculiaris ratio eſt, quia loquimur de Republica Chriſtiana, in qua ſine ſcandalo, & damno aliorum indigni, & ſupradicti eligi non poſſunt, & præſertim, cùm dominium iſtorum officiorum tranſlatũ ſit in Principes, & Reges à Republica, in ædificationem ipſius Reipublicæ, & non ad deſtructionem, vt optimè oſtendunt Sotus de iuſtitia, & iure, lib. 3. quæſt. 6. artic. 4. Bañez. quæſt. 63. artic 2.

5 . Supponimus tertiò, quòd ex ſæcularibus officijs, quædam ad gubernationem, & famulatum Principis inſtituta ſunt tantùm; & de iſtis non loquimur in præſenti. Alia inſtituta ſunt ad Reipublicę gubernationem, & de his eſt ſermo in hac diſputatione. Quę in triplici differentia eſſe poſſunt: quædam enim ſunt magni momenti, & in primo gradu, quæ gubernationem, & iuriſdictionem iuſtitiæ in ipſa Republica habent, à quibus totum Reipublicæ, Regni, & prouinciæ negotium pendet, vt ſunt officia Proregum, Præſidentium, Senatorum, Iudicum, Fiſcalium, & ſimilium, qui notabiliter poſſunt eſſe in Republica magnę vtilitatis, & damni. In ſecundo gradu ſunt alia officia, veluti inſtrumenta proxima iſtorum, vt tabelliones, ſcribæ, regitores, & correctores, & ſimilia. In tertio verò gradu ſunt omnia alia officia in republica non pauca, quæ ſe habent ad ſupradicta, veluti inſtrumenta remota, vt cuſtodes carcerum, ſatellites, officiales, miniſtri iuſtitiæ, & ſimilia,

lia; & ad iſta reducuntur omnia alia officia, quæ parui momenti in Republica reputantur.

6 Conditiones autem, quæ requiruntur in hominibus ad iſta officia obtinenda, vt idonei reputentur, ſunt, probitas morum, ſcilicet, quòd non exiſtant eligendi in publicis peccatis; doctrina, & induſtria, vt in diſputatione præcedenti dictum fuit de beneficijs Eccleſiaſticis: & hæ conditiones præcipuè, & maximoperè requiruntur in officijs primi generis, quæ adminiſtrationem iuſtitiæ, & iuriſdictionem habẽt in Republica, nam ab eis pendet recta gubernatio Reipublic. In alijs ſecundi generis, licèt requirãtur prædictæ conditiones, non autem ita perfectè. In reliquis officijs tertij generis, ſufficit ex conditionibus ſupradictis probitas, & fidelitas, quia iſti ſunt, vel meri executores, vel parum diſponunt in officijs, & operantur cum dependẽtia ſuperiorum officiorum. Et licèt in prædictis officijs ſæcularibus conferendis, non detur examen concurſus de iure poſitiuo ad inquirendum de conditionibus, & qualitatibus concurrentium; datur tamen alter concurſus, vel quaſi concurſus de iure naturali ad indagandum ex officio, & de ſecreto, ſi concurrant in eligendis conditiones, partes, merita, & reliqua requiſita, vt eligantur: & ad id diſtributores, præſertim in prædictis officijs magni momenti, maximoperè tenentur attendere, vt ordinatè, & abſque peccato acceptionis perſonarum conferantur, prout ſupradictum fuit.

7 His conſtitutis, ſaluo ſemper in omnibus meliori iudicio, concluſio eſt. *Princeps, & electores ſub peccato mortali tenentur eligere ad officia publica primi generis, digniores, & vtiliores miniſtros, in quantùm commodè hoc fieri poterit, ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam.*

Probatur concluſio ſupradicta rationibus ſequentibus. Primò, quia iſta officia proportionem habent cum beneficijs Eccleſiaſticis; licèt ſint temporalia; nam nō ſolùm ſunt ſtipendia laborum, verùm, & præmia meritorum: ergo neceſſarium erit, quòd electores diſtribuant ea ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam, & commutatiuam inter vtiliores miniſtros, & digniores: & ſicut in beneficijs erat mortale ſic non conferre; ita erit in officijs. Tum etiam, quia omnia incommoda, & inconuenientia, quæ in Republica Eccleſiaſtica enumerantur cùm minus digni eliguntur: hæc omnia ſequuntur etiam ſuo modo in Republica ciuili: ergo electores tenentur digniores eligere ſub peccato mortali. Tum etiam, quia, vel Princeps debet diſtribuere iſta officia, ſine aliquo ordine, pro ſua voluntate, vel cum ordine aliquo: primum non eſt dicendum, cùm id in maximum damnum Reipublicæ redundet, quod ipſe Princeps, ex iuſtitia tenetur euitare: ergo tenetur diſtribuere ſecundo modo, id eſt, cum ordine, ſed nullus poterit eſſe ordo conuenientior, nec pro Republica in communi, nec pro ciuibus in particulari, quàm, vt ſeruetur ordo iuſtitiæ diſtributiuæ: ergo hunc ordinem Princeps ſeruare debet. Tum etiam, quia ſi iſta officia publica eligerentur modò à republica, ſuffragio multorum eligerentur, & quilibet illorum ſub peccato mortali teneretur ſuffragari digniori, ſed Princeps in electione iſtorū officiorum, Reipublicæ, & ſingulorum ciuiū officio fungitur: ergo pari ratione eligere debet ſub mortali peccato digniorem. Tum denique, quia Reſpublica confert tributa Principi, & virtualiter, & interpretatiuè, ſub hac conditione, & pacto, vt ſibi miniſtros digniores tribuat, & ſub hoc vinculo, & pacto implicito fuit in eū tranſlatū dominiū, & imperiū

à Re-

Digitized by Google

à Republica, vt ſupradictū fuit: ergo id tenetur Princeps efficere, ita Sotus de iuſt. & iur. lib. 3. ar. 4, cōcl. 4. Didacus Perez, lib. 7. ordin. regul. tit. 2. l. 22. Aragonius, & Bañez, d. q. 63. ar. 2. Couar. in reg. peccatū, §. 7. n. 6. Padilla in l. cum quibus, ff. de legib. Molina de Hiſpanorum primogenijs, lib. 2. c. 5. n. 57. cum alijs.

8 Aduertendum tamen eſt, quòd loquimur in concluſione ſupradicta, de officijs illis primi generis, quæ habēt adminiſtrationē iuſtitiæ, & etiā intelligi poteſt de officijs ſecundi generis, nā tunc certè læditur Reſpublica, dū priuatur vtilitate illa, quā ex digniori, & vtiliori miniſtro conſequutura erat: ſi autē officiū fuerit exigui momenti, vel exceſſus dignioris à digno fuerit exiguus, tūc ex leuitate materiæ, & ex paruo Reipublicæ nocumēto, veniale tantùm peccatum erit, vt de beneficijs Eccleſiaſticis in diſputatione præcedenti dictum fuit.

9 Nec obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum deſumptum ex eo, quòd iſta officia ſunt bona libera ipſius Principis: nam reſpondetur, quòd non ſunt veluti opes, diuitiæ, redditus, & fructus ipſius Reipublicæ, ſiue in ærario, ſiue in vectigalibus, ſed ſunt miniſteria inſtituta in vtilitatem communem, & propter hoc diſtribuenda ſunt, ſicut vtilitas cōmunis requirit, quæ poſtulat, vt vtilioribus, & dignioribus conferātur, vt declaratū eſt, & ſoluitur primū argumētū.

Nō obſtat ſecūdū argumētū: nā reſpōdetur, quòd licèt iſta officia principaliter, primò, & per ſe ſint inſtituta ad vtilitatē Reipublicę, ſunt tñ cōſequēter, & ſecūdariò ſtipēdia laborū, & prēmia honoris, & propter hoc ex iuſtitia cōmutatiua & diſtributiua, vtilioribus & dignioribus cōferēda ſunt ſecūdū leges iuſtitiæ diſtributiuæ, vt in præcedēti diſput. de benefic. dictū fuit, & ſoluitur ſecūdū argumētū.

Non

Non obſtat tertium argumentum, ex auctoritate Diui Pauli deſumptum, nam dupliciter exponi poteſt prædicta auctoritas, & intelligi. Primò ſic, eligendos potiùs eſſe in iudicijs infimos Chriſtianos, quàm infideles, reprehendendo illos, qui volebant introducere ad iudicandum forſan infideles: vel vocat incontemptibiles Diuus Paulus, minùs ſpirituales, & magis actiuos, ſed ex eis digniores eligendi ſunt, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum, n. 1.
Proponuntur tria argumẽta ad probandum partem negatiuam quæſiti, n. 2.
Referuntur quatuor opiniones, n. 3.
Actiones humanę quatuor ſunt, & venditio officiorum, ad quam illarum reducatur, n. 4.
Mala, quę ſequuntur ex venditione officiorum, n. 5.
Quomodo honeſtari, & licita fieri poſſit venditio officiorum, num. 6.
Conſtituitur concluſio, & probatur, n. 7.
Inferuntur ex dictis tria notabilia, n. 8.
Satisfit argumentis propoſitis in principio, n. 9.

ARTICVLVS III.

1 ### *Vtrùm officia publica licitè vendi poſſint.*

2 Primò pro parte negatiua argumentor, & probo, quòd iſta officia licitè vendi non poſſint, ſic. Hæc officia ſunt bona

Digitized by Google

bona communia diſtribuenda ciuibus pro meritis; ergo vendi non poſſunt.

Secundò. Actiones humanæ morales iudicandæ ſunt, quoad praxim, ſi licitæ, vel illicitæ ſint, ſecundùm ea, quę communiter fiunt in indiuiduo, & in particulari ſed venditio iſtorum officiorum communiter fit cum maximo damno, & detrimento Reipublicæ, vt infra patebit: ergo venditio eorum licita eſſe non poteſt.

Tertiò. Aut ſtipendia, quæ ſoluuntur pro iſtis miniſterijs, ſunt iuſta, vel non: ſi ſunt iuſta; ex iuſtitia commutatiua debentur miniſtris quibus conferũtur: ergo iniquũ erit vendere alicui, quod ſuo labori debetur.

3 Sed ante quã concluſiones conſtituamus, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd in hoc plures ſunt opiniones Doctorum: Prima eſt Sancti Thomæ opuſculo illo 21, ſuprà citato vbi interrogatus à Duciſſa Brabantiæ reſpondit, licere quidem Regibus, & Principibus vendere iſta officia cum quibuſdam conditionibus, non autem expedire, vt ſint venalia: & adducit auctoritatem Diui Pauli 1. ad Corinth. *Multa mihi licent, ſed non omnia expediunt.*

Secunda opinio eſt Caietani in ſumma, verbo, officiorum venalitas, & Soti de iuſtitia & iure, lib. 3. quæſt. 6. art. 4. qui dicunt, quòd ſpeculatiuè, id eſt, ex natura rei, licet vendere iſta officia, quia ſunt bona temporalia, pretio æſtimabilia; practicè autem non licere, quia affert talis venditio multa damna, & mala in Republica.

Tertia opinio eſt Adriani in 4. loco ſuprà citato, qui ſimpliciter, & omnino negat, poſſe hæc officia vẽdi, quia contractus venditionis debet fieri à domino, huiuſmodi autem officiorum nullus eſt dominus.

Quarta opinio communis eſt modò inter diſcipulos

Ff Sancti

Digitized by Google

Sancti Thomæ, quòd tam practicè, quàm ſpeculatiuè, licet vendere iſta officia cum aliquibus conditionibus ſubſequentibus: & ſic intelligendus eſt, & loquitur Sanctus Thomas in dicta opinione citata.

4 Supponimus ſecundò, & reuocanda eſt in memoriam diſtinctio illa, ſcilicet, quòd actiones humanæ quadrupliciter eſſe poſſunt; quædam intrinſecè bonæ, quædam intrinſecè malæ, aliæ indifferentes, & aliæ demum, quæ habent apparentiam mali; poſſunt tamen ex cauſa, & circunſtantijs honeſtari, & licitę fieri, vt occiſio hominis, pluralitas beneficiorum, & venditio modò officiorum. Et quòd venditio officiorum habeat apparentiam mali, patet ex incommodis, quæ ex ea ſequuntur.

5 Primum incommodum, & malum eſt, quòd conferuntur iſta officia indignis, dum in prædictis venditionibus, non virtutes, ſed pecuniæ frequenter attenduntur. Secundũ, quòd tabelliones, procuratores, ſimileſque officiales extorquent exceſsiuè ſtipendia à plebe. Tertiũ, quòd Magiſtratus, & dignitates inde vileſcunt, cùm non in præmium virtutis, ſed pro pecunijs tribuantur. Quartũ, quòd leges, & rationes violantur, non enim illa adminiſtrantur ab emptoribus, prout reipublicæ bonum poſtulat, ſed vt pretium ſolutum reſumere valeant. Caietanus, & Sotus locis citatis adducunt in hoc, exemplum de antiqua Roma, quæ dominabatur vniuerſo orbi, quando officia publica diſtribuebat ſecundùm merita; poſtmodùm autem, quando officia iſta venalia facta ſunt, ſubiecta eſt, & interijt. Vnde Saluſtius ait, *O vrbem venalem, & citò perituram, ſi emptorem inueneris*, ita Bañez, Aragonius, & Sotus locis citatis.

Ec

6 Et licèt venditio officiorum apparentiam mali habeat, & tot inconuenientia ex ea oriantur: honeſtari tamen poteſt, & licita fieri conditionibus ſubſequentibus. Prima, & potiſsima conditio debet eſſe, quòd non vendantur illa officia quæ iuriſdictionem habent, & adminiſtrationem iuſtitiæ. Secunda, quòd non vendantur exceſſiuis pretijs, ne emptores pro recuperando pretio, populũ deprædari cogantur. Tertia, quòd non vendantur indignis, ſed merentibus. Quarta, quòd taxentur ſtipendia moderata, ne exigant deinde pluſquàm licitum ſit. Cum his conditionibus officia licitè vendi poſſunt, vt ex doctrina Sancti Thomæ, & aliorum Doctorum locis ſuprà citatis colligitur.

7 His conſtitutis, concluſio eſt. ***Rex, vel Princeps ex iuſta & rationabili cauſa licitè poteſt vendere officia publica ſeruatis conditionibus ſupradictis.***

Probatur concluſio, quia huiuſmodi officia ex natura ſua vendibilia ſunt, cùm ſint temporalia bona, & pretio æſtimabilia, vtilia, honorifica, nec habeant aliquid ſpirituale annexum: ergo neceſsitate vrgente Reipublicæ, licitè vendi poſſunt. Patet etiam, quia ſi aliqua Reſpublica. V. g. Venetorũ, eſſet oppreſſa ab hoſtib⁹, & cõſtituta in aliqua maxima neceſsitate famis, belli poteſt paciſci cùm aliquo Principe, vel viro potẽtiſsimo, defẽde me tuis exercitibus, & ſumptib⁹, vel libera me tua pecunia à fame, & eris Rex meus. Ita etiam, & Rex poterit eadem de cauſa vendere ſuum Regnum, vel partem illius: ergo multò faciliùs officia publica propter bonum, & neceſsitatem communem, & publicam; ita Sanctus Thomas opuſculo ſuprà citato. Sotus de iuſtitia, & iure, lib. 3. q. 6. art. 4. Aragonius, Bañez, d. quæſtion. 63. art. 2. Nauarrus c. 25. num. 7.

Digitized by Google

8. Ex quo tria inferũtur. Primò infertur, q̃ de iure cõmuni, & Regio prohibentur, & vendi non poſſunt officia, quæ habent annexam adminiſtrationem iuſtitiæ. V. g. Proreges, Præſides, Senatores, Iudices, Fiſcales, Tabelliones, & ſimilia, text. in illo aureo authentico, *Vt iudices ſine ſuffragio fiant*, text. in l. hæc lex, ff. ad legem Iuliam, de ambitu, tex. in c. ſancimus 1. quæſtion. 7. & de iure Regio, lib. 1. ordin. reg. titul. 5. l. 2. & lib. 2 tit. 13. & lib. 6. titul. 14. l. 16. & lib. 7. tit. 1. l. 1. Infertur ſecundò, quòd licèt Regibus licitum ſit vendere dicta officia, non tamen licet Magnatibus, niſi ex cauſa priuilegiata, vel ex immemoriali conſuetudine, & præſcriptione hoc faciant. Infertur tertiò, q̃ Epiſcopi habentes iuriſdictionem ſæcularem, ſine recognitione ſuperioris in temporalibus, poſſunt quoque vendere officia ſæcularia cum conditionibus ſupradictis: ſecus autem erit, ſi habent poteſtatem Regibus ſubordinatam, nam tunc dicendum eſt de illis, ſicut dictum fuit de Magnatibus, ita Doctores citati.

9. Non obſtãt argumenta adducta. Non primum. Nam reſpondetur, quòd licèt iſta officia ſint inſtituta propter vtilitatem Reipublicæ, vendi poſſunt, cùm neceſſitas illius vrget cum conditionibus ſupradictis, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum argumentum: Nam reſpondetur, verum eſſe, quòd actiones humanæ, quæ ex natura ſua ſunt malæ, vel bonæ, iudicantur licitæ, vel illicitæ ſecundùm ea, quæ communiter fiunt in indiuiduo: ſed in præſenti venditio officiorum, erit ſolùm mala ex culpa operantis, qui non debitas circunſtantias ſeruat, quæ tamen licita fieri poteſt, ex rationabili cauſa, vt declaratum eſt num. 6. & ſoluitur ſecundum argumentum.

Non

Non obſtat tertium, nam reſpondetur, quòd iſta officia ſunt honorifica, & in eis eſt eminentia, occaſio, & commodum lucrandi, & exceſſus ſtipendiorum, vltra debitum: & propter hoc licitè vendi poſſunt cum conditionibus ſupradictis, vt declaratum eſt, & ſoluitur argumentum, articulus, & diſputatio.

Digitized by Google

DE ACCEPTIONE PERSONARVM IN reliquis bonis diſtribuendis.

DISPVTATIO Tertia.

IN TRES ARTICVLOS diuiſa.

In hac diſputatione agitur de diſtributione, quæ fit in honoribus, & reuerentijs, in tributis, & iudicijs.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum, n.1.
Proponuntur tria argumenta, n.2.
Conſtituitur concluſio, & probatur, n.3.
Declarantur honores, de quibus loquimur, n.4.
Quibus honores debeantur, oſtenditur, n.5.
Quo titulo honores debeantur, oſtenditur, n.6.
Diſtributio iſtorum bonorum à Republica ciuibus commiſſa eſt, oſtenditur, n.7.
Qua ratione honores dicãtur bona cõmunia, declaratur, numer.8.
Satisfit argumentis propoſitis in principio, n.9.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

1 *Vtrùm in exhibitione honoris, & reuerentiæ, peccatum acceptionis perſonarum locum habeat.*

2 PRimò pro parte negatiua argumentor ſic. Vitium acceptionis perſonarum, locū non habet in rebus gratuitis, & liberis, vt in diſp. 1. dictum fuit: ſed vrbanitates, quæ in ſalutationibus, & reuerentijs fiunt, in eis dum quis ſalutat dignū, vel indignum, nulli iniuriā facit: ergo in his, acceptio perſonarum locum non habet.

Secundò ſic argumentor. *Honor* (vt ait Ariſt. 4. Ethic. c. 3.) *ſoli debetur virtuti*, ſed multi ſunt aliquando corrupti moribus, quibus honor lege debetur, vt ſunt mali Prælati, Principes, parentes, domini, ſenes, &c. ergo acceptio perſonarum in honore, & reuerentijs, peccatum non eſt.

Tertiò. Honores & reuerentiæ exhibendæ, non videntur eſſe bona communia, nam eorum diſtributio non pertinet ad Rempublicam, ſed ad quamlibet priuatam perſonam: ergo non ſpectant ad iuſtitiam diſtributiuam, neque in præſenti tractandum eſſet de eis.

3 His non obſtantibus, concluſio eſt. *In exhibitione honoris & reuerentiæ locum habet peccatum acceptionis perſonarum, quod aliquando mortale, quandoque veniale eſt.*

Probatur concluſio auctoritate, & ratione: auctoritas eſt Diui Pauli ad Roman. c. 3. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui honorem, honorem*: & ratio eſt, quia in alijs bonis inferioris ordinis, quæ debentur, contingit in eis acceptio perſonarum, quando diſtri-

diſtribuuntur ex indebita cauſa, & non proportionabiliter conferuntur: ergo multò magis peccatum hoc contingit in diſtributione honoris. Quando autem ſit peccatum mortale, ſeu veniale, certa regula conſtitui non poteſt, quia pendet ex circunſtantijs conſiderandis, loci, temporis, perſonæ, ſi fuit honor prætermiſſus in actibus publicis, vel priuatis; ita S. Thom. 2.2. q. 63 art 3. Sotus de iuſtitia, & iure, lib. 3. q. 6. ar. 6 Bañez, Aragonius, dict. quæſt. 63. cum alijs.

4 Sed, vt clariùs concluſio intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd articulus intelligitur in præſenti de reuerentia, & honore conſiſtente in rebus, vel in verbis, ſeu in aliquo ſigno exteriore; vt in genuflexione, ſubmiſsione, reuerentia, apertione capitis, aſsignatione melioris loci, in titulis tribuẽdis, verbo, vel in epiſtolis, & ſimilibus.

5 Supponimus ſecundò, quòd *Honor eſt prȩmium virtutis ſignum, & teſtimonium de virtute illius, qui honoratur*, vt ait Ariſt. 4. Eth. c. c. 3. & inde ſola virtus eſt debita cauſa honoris. Sciendum tamen eſt, quòd aliquis poteſt honorari, non ſolùm propter virtutem propriam, ſed etiam propter virtutem alterius, ſicut Principes, Magiſtratus, Prælati honorantur, etiam, quòd ſint mali, in quantùm gerũt perſonam Dei, & Communitatis; ſi autem fuerint boni, duplici honore honorantur, virtutis, & dignitatis, & eadem ratione parentes, & domini ſunt honorandi propter participationem Dei, qui eſt pater omnium, & dominus. Senes quoque ſunt honorandi propter ſignum virtutis, quȩ eſt ſenectus: diuites, & potentes honorandi ſunt, propter hoc, quòd maiorem locum in Communitatibus obtinẽt, cuius ſunt veluti nerui & oſſa, non autem ſolo intuitu diuitiarum, quia diuitiæ ſolùm per ſe non ſunt debitȩ cauſæ hono-

honoris, ità ſanctus Thomas, & Doctores ſuprà citati.

6 Supponimus tertiò, quòd honor tripliciter eſſe poteſt. Primò debitus ex iuſtitia, vt honor & reuerentia, quæ debetur virtuti, Principibus, Magiſtratibus, Prælatis, parentibus, dominis, & ſenioribus, vt patet auctoritatibus ſacræ Scripturæ. Petri c. 2. Exod. c. 20. 1. ad Timoth. c. 6. Leuit. c. 19. Secundò, honor poterit eſſe debitus ex ſuppoſitione, vt ſi inuitaueris aliquem, teneris illum honorare, ſecundùm morem; vnde Chriſtus reprehendit Phariſæū, eo quòd cùm inuitaſſet illū, nec vnxit vnguento, nec lauit aqua pedes, qui erat modus cōſuetus inter Palæſtinos. Tertiò, honor poterit eſſe meræ volūtatis, & gratuitus, vt ſalutare, & honorare tranſeuntem indignum, in quo nihil virtutis, aut dignitatis reperitur.

7 Supponimus quartò, quòd diſtributio honoris, & reuerentiæ, per ſe pertinebat ad Rempublicam, quæ diſtribuit omnia bona communia, vt ſecundùm diuerſitatem meritorum ciues honorarentur: verùm tamen prudenter hoc Reſpublica commiſit ipſis ciuibus, qui gerunt vicē illius, & de facto ſunt miniſtri, & diſtributores iſtorū bonorum cōmunium, qui tenentur ſequi in diſtributione eorum, cōſuetudinē, & vſum cōmunē, & leges, & proportiones iuſtitiæ diſtributiuæ in eis ſeruare, tā in reb⁹, quā in verbis, epiſtolis, locis, ſalutationibus, & ſimilibus, alioquin peccatum acceptionis perſonarum committitur; ita Sotus, & Bañez, vt ſuprà.

8 Supponimus quintò, & vltimò, quòd honores, & reuerētię, quę in Republica ſingulis pro dignitate exhiberi poſſunt, ac debēt, dupliciter cōſiderari poſsūt. Vno modo, vt actu exhibētur, & appropriātur huic, aut illi perſonæ, & ſic non ſunt bona communia, ſed propria, & particularia illorū, quibus benè, aut malè applicātur. Alio modo con-

ſiderari poſſunt huiuſmodi honores, vt ſunt in potentia ante applicationē, & appropriationem alicui perſonæ, & hoc modo honores, & reuerentiæ bona communia dicuntur, nam nullius ſunt propria, & poſſunt iſti, vel illi applicari, ac proinde, niſi pro cuiuſcunque dignitate, & iuxta leges, & ordinationes iuſtitiæ diſtributiuæ applicentur, à vitio, & peccato acceptationis perſonarum, diſtributor non excuſatur; ita Doctores ſuprà citati.

9. Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd licèt honor, & reuerentia aliquando gratuita ſint, & præcipuè in illis, in quibus nihil virtutis, aut dignitatis, & excellētiæ exiſtit, acceptio perſonarum tamen committitur, dum illi in honoribus, & reuerentijs præponuntur cæteris, qui propria, vel aliena virtute honorandi ſunt: & ratio eſt, nam tunc illi honores, qui dignis debentur, indignis adſcribuntur, & eodem modo, ſi eodem titulo Antiſtitem ſalutaueris, quo ſimplices Sacerdotes, Magnatem, ac plebeium, nobilem, ac ignobilem, non fit hoc abſque iniuria virtutis, & dignitatis illorum, & propter hoc acceptio perſonarum tunc committitur, & ſoluitur primum.

Non obſtat ſecundum deſumptum ex Ariſt. 4. Ethic. nam reſpondetur, quòd verum eſt, quòd honor ſoli debeatur virtuti, attamen aliqui honorantur, vt declaratum eſt, etiam quòd nō ſint probi, & fit hoc propter virtutem alterius, quæ repræſentatur in eis, & ſoluitur ſecundum.

Non obſtat tertium, nam reſpondetur, quòd licèt diſtribuere honores, non pertineat ad Rempublicam, pertinet tamen ad ciues, qui gerunt vicem Reipublicæ, quantùm ad diſtributionē honoris: nec verè infertur ex hoc, quòd non ſint bona cōmunia, & tractandū de eis erit in præſenti, vt declaratū eſt, & ſoluitur argumētū, & articulus.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum, n. 1.
Proponuntur tria argumenta, n. 2.
Conſtituitur concluſio, & probatur, n. 3.
Quid ſit tributum, & quotupliciter dicatur, n. 4.
Tributum debitum eſſe Principibus omni iure, oſtenditur, num. 5.
Tres conditiones requiruntur, vt tributa licita dicantur, numero 6.
Perſonas Eccleſiaſticas exemptas eſſe à ſolutione tributorum oſtenditur, n. 7.
Immunitas Eccleſiaſtica reuocari non poteſt, oſtenditur, numero 8.
Pœna, quæ imponitur, ne tributa exigantur à perſonis Eccleſiaſticis, oſtenditur, n. 9.
Generalis regula immunitatis Eccleſiaſticæ fallit in aliquib⁹ caſibus, oſtenditur, n. 10.
Satisfit argumentis propoſitis, n. 11.

ARTICVLVS II.

1 *Vtrùm in tributis diſtribuendis contingere poſsit peccatum acceptionis perſonarum.*

2 PRimò, pro parte negatiua argumentor ſic. Acceptio perſonarum in bonis communibus diſtribuendis, committitur, ſed tributorum exactio, bonorum communium collectio eſt, & accumulatio, & non diſtributio: ergo in tributis exigendis contingere non poteſt peccatum acceptionis perſonarum.

Secundò argumentor ſic. A iure permittitur, quòd cęci, pueri, ſenes, tributa ſoluere non compellantur, vt in c. licèt nullũ, de cenſibus, in l. ætatem, ff eod. tit. & etiam clerici, vt in c. quamquam, de cenſibus, lib. 6. ergo cùm nõ teneantur omnes generaliter ad ſolutionem tributorum, peccatum acceptionis perſonarum in eis non committitur.

Tertiò argumentor ſic. Reges licitè, & abſque peccato nobiles à ſolutione tributorum eximere poſſunt; ſed in his, quæ liberè poſſunt fieri, peccatum non datur, nec perſonarum acceptio: ergo in tributis diſtribuendis acceptio perſonarum eſſe non poteſt.

3 His non obſtantibus, concluſio eſt. *In tributis exigendis, peccatum acceptionis perſonarum eſſe poteſt.*

Probatur concluſio, nam quoties æqualitas, & proportio non ſeruatur in bonis communibus, peccatum acceptionis perſonarum committitur, ſed frequenter in tributis exigendis proportio non ſeruatur, nam non diſtribuuntur iuxta proportionem bonorum, & facultatum cuiuſcunque, imò ſæpè, ex inordinata cauſa grauantur minùs grauandi, & ſic acceptio perſonarum in eis committitur. Probatur quoq; auctoritate omnium Doctorum id aſſerẽtium, inter quos Sot⁹ de iuſt. & iur. lib. 3. q. 6. ar. 7. Greg. de Valentia, tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. de reſtitutione, part. 5. § 3. Medina de reſt. q. 13. Aragonius, Bañez 2. 2. q. 62. art. 3. cum aliijs.

4 Sed, vt hoc clariùs intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd hoc nomen *Tributum*, generaliter ſumptum nihil aliud ſignificat, quàm id, *quod Principi à priuatis perſonis ſoluitur, ad onera communia ſuſtinenda*, quæ duplicia eſſe poſſunt, realia, & perſonalia. Perſonalia dicuntur, quæ perſonis imponuntur.

Realia,

Digitized by Google

Realia, quæ rebus conſtituuntur; & licèt Iuriſprudentes innumera tributorũ nomina multiplicent, vt refert Syl-ueſter verbo gabella, illis omnibus cum ſuis interpreta-tionibus omiſsis, quatuor tantùm in præſenti conſtitui-mus, videlicet cenſum, tributum, vectigal, & pedagium. Cenſus non vt vulgariter accipitur, nunc vſurpatur, ſed more antiquorum, & ſignificat illam contributionem, quam ſubditi viritim pro capite, Principi exhibebant, & eſt illa, de qua Matthæi, cap. 22. Iudæi Chriſtum interro gabant quærentes, an eſſet licitum, *Cenſum dari Cæſari, an non?* Alia enim tributa, quæ Principibus, pro defen-ſione, & gubernatione Reipublicæ dabantur, dare non recuſabant, ſed recuſabant tantùm cenſum ſoluere, eo quòd ſignũ ſubiectionis ſignificabat, à qua ſe liberos eſſe tanquam filios Abrahæ profitebantur, iuxta illud Ioann. c. 8. *Nos filij Abrahę ſumus, & nemini ſeruiuimus vn-quam*; quod genus tributorum Principes Chriſtiani, nunquam, aut rarò, & in grauiſsimis neceſsitatibus ſub-ditis imponunt, quia ſunt onera perſonalia. Secundò, tributum nihil aliud ſignificat, quàm contributionem illam, quæ ſubditis ſoluenda imponitur iuxta facultatem cuiuſque bonorum, & prædiorum, ad Principem, dignitatem, & ad omnia impendia ſuſtentanda, quod Hiſpano vocabulo *Pecho*, appellatur. Tertiò vectigal ſig-nificat id, quod exigitur ex mercimonijs, quæ expor-tantur, vel inferuntur in ciuitatem, vel in prouin-tiam, quod ſoluitur in partibus Regnorum, & con-finium; quæ vocabulo Hiſpano (ſi per mare tran-ſuehuntur) dicuntur, *Diezmos de la mar*: ſi verò per terram trahuntur: *Portazgos*: quod ſoluitur à tran-ſeuntibus per aliquam viam, pro cuſtodia viarum, pedagium: & aliquando guidagium nuncupatur

quod acquiritur ex rebus venditis, aut permutatis, vocabulo Hiſpano dicitur *Alcauala*, quæ anteà erat decima pars, ac modò trigeſima tantùm exigitur, & quæ tandem exigitur ex rebus commeſtibilibus, aſsiſum nuncupatur: ita Aragonius, & Sotus, vt ſuprà.

5 Supponimus ſecũdò, tributa deberi Regibus, & Principibus, omni iure, diuino, naturali, & poſitiuo: & loquimur de tributis iuſtè impoſitis. Patet hoc euidenter, nam nemo tenetur proprijs ſtipẽdijs laborare, vt ait Paulus 1. ad Corinth. c. 9. & Lucas c. 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, nam multi ſunt labores, quos Principes pro populo tolerant, tenentur enim ex officio ſeruare Rempublicam in pace, componendo lites ciuium, puniendo malefactores, defendendo Rempublicam ab iniurijs, vendicando iniurias bello ſuſceptas, ad quæ neceſſariæ ſunt opes ingentes. Tum etiam, quia ad ſplendorem Regum, tam in cibo, quàm in multitudine miniſtrorum, & præſertim cũ Reſpublica tranſtulerit ſuam poteſtatem in eis, neceſſaria ſunt tributa ad ſupradicta exercenda. Tum quia ſi mercenario ex iuſtitia commutatiua debentur ſtipẽdia, multò magis Regibus ipſis debentur ingentia tributa, pro labore, & officio ſuæ dignitatis. Tum denique, quia decimæ perſonis Eccleſiaſticis debentur, vt ſtipendia officiorum illorum in ſpiritualibus; ſed non ſunt minùs neceſſarij Reges in Republica temporali: ergo eodem modo illis debentur tributa, pro eorum dignitate, & munere.

Patet hoc idem auctoritatibus ſacræ Scripturæ: imò & ipſe Chriſtus hoc iudicauit Matthæi cap. 17. dicens: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei ſunt, Deo.* Et ad Roman. c. 13. præcepit Apoſtolis reddere omnibus debita, *Cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.*

Digitized by Google

gal. Et vniuerſi Reges, tam populi Dei Iſraelitici, quàm inter gentes acceperunt tributa ſemper à ſuis ſubditis, nam licitè debebantur. Ex quo deducitur, veriſsimam ſententiam eſſe, ſubditos teneri, etiam, quòd à publicanis non exigantur debita tributa, Principibus ſoluere in foro conſcientiæ; quod ſi non fecerint, peccant mortaliter, & ad reſtitutionem tenentur. Nec valet, ſi dicatur, quòd leges pœnales non obligant ad reſtitutionem, niſi poſt ſententiam condemnationis iudicis; nam hoc intelligitur de obligatione ſolutionis pœnæ annexę, & non de obligatione principali debita tributorum, & præſertim cùm obligatio, & lex ſolutionis tributorum, non ſit merè pœnalis, ſed res eſt debita iure diuino, & naturali: ita Couarruuias 2. part. §. 5. num. 5. & reliqui Iuriſconſulti, inter quos Panormitanus in c. innouamus, de cenſibus, & ex Theologis Sanctus Thomas in opuſculo. 20. de regimine Principum, lib. 1. c. 12. in eodem opuſculo, lib. 3. c. 5. & 11. Aragonius dicta quæſtion. 62. artic. 3. concluſione 1. Sotus de iuſtitia, & iure, lib. 4. quæſt. 6. artic. 4. Medina de reſtit. q. 13. cum alijs.

6 Supponimus tertiò, quòd ad tributa licitè imponenda, tria ad minus requiruntur: auctoritas, cauſa, & forma. Auctoritas illa requiritur, quæ exiſtit in principibus Reipublicæ, qui in ſuis adminiſtrationibus ſuperiorem non cognoſcunt, vt eſt Romanus Pontifex, Concilium generale, Imperator, Rex, & Principes, ſuperiorem non recognoſcentes. Verùm etiam multæ ciuitates, populi, aut domini temporales ſubditi, qui iura Principis in hac re præſcripſerunt, ipſi quoque poſſunt, non ſolùm antiqua tributa ipſius Principis exigere, ſed etiam, & noua imponere in locis eorum, vt in c. ſuper quibuſdam, §. præterea, de verb. ſignificatione,

c. in

c. in occultis de cenſibus. Secundò requiritur iuſta cauſa ad tributa imponenda, quæ eſt, vel neceſsitas, vel vtilitas publica, non tamen imponenda ſunt ob priuatam vtilitatem ipſius Principis, nam non populi propter Regem, ſed Rex propter populos fuit inſtitutus; verùm poterit eſſe tanta Regis inopia, vt licitè poſsint noua tributa inſtitui, quæ non pro priuata Principis vtilitate, ſed pro totius Reipublicæ commodo reputanda erunt, & in illis ita imponendis, ſemper reſpiciendum erit, ne maiora tributa imponantur, quàm neceſsitas, & tempus requirat, vt in c. quia plerique, de immunitate Eccleſiarum. Tertiò requiritur forma, vt ſecundùm proportionem bonorum, & facultatum ſubditorum, imponantur, & exigantur: iniquum enim erit, ſi cogatur pauper amplius, aut æqualiter ſoluere, ſicut, & diues. Vna ex prædictis tribus conditionibus deficiente, tributa iniuſta reputantur; ita Medina de reſtitutione, quæſtion. 13. Aragonius, vt ſuprà, Syluester verbo gabella 3. n. 8. cum alijs ſuprà citatis.

7 Supponimus quartò, quòd tributa non ſunt imponenda perſonis exemptis ab oneribus prædictis, vt ſunt Eccleſiaſtici, quos auctoritatibus, & exemplis ſacræ Scripturæ, exemptos eſſe iure diuino oſtenditur. In c. 47. Geneſis dicitur de Ioſeph, quòd fecit tributariam totam terram Ægypti, vna ſcilicet excepta terra Sacerdotum. Et Exod. c. 7. Arthaxar Rex voluit, Sacerdotes, & Leuitas, & alios templi miniſtros à vectigalibus exemptos eſſe. Vel etiam dicere poſſumus, vt volunt alij, quòd prædicta exemptio religioſorum in perſonis, & bonis colligitur fuiſſe à Deo conceſſa, non immediatè, ſed mediatè, nam dictauit, eam à Romano Pontifice, & à Principibus concedendam, & hoc ex

varijs

Digitized by Google

varijs cauſis. Primò ob dignitatem ſtatus illorum, qui diuinis rebus, & Deo conſecrati ſunt. Tum etiam, quia Eccleſiaſtici ſunt Patres, & Paſtores ſæcularium, & iudices eorum in cauſis ſummis, quæ ſalutem æternam concernũt, & propter hoc, magis honorandi erant, & hac de cauſa à Regibus, & ab Imperatoribus conceſſa fuit eis immunitas, vt in c. generaliter 18 q. 1. in c. in qualibet 23. q. 8. & ex iure Regio, text. in l. nouæ Recopil. lib. 9. tit. 28. l. 6. & 7. & de iure Canonico textus quoque, in c. qualibet, c. ſecundùm Canones, c. Sanctorum, 23. q. 8. c. at ſi clerici. c. qualiter, & quando, c. clerici, de iudicijs, vt à nobis copioſiùs dictum fuit, dum titulum, & text. in c. decernimus, de iudicijs interpretabamur.

8 Ex quo tria inferuntur: primò infertur, quòd prædicta immunitas clericorum à Principibus conceſſa; à ſucceſſoribus eorum reuocari non poteſt. Primò, quia fuit abſolutè, & perpetuò conceſſa ex mente concedentis, & omnis donatio facta communitati in perpetuum, eſt irreuocabilis. Tum, quia fuit diuinitus inſpirata, & ad remunerationem beneficiorum ſpiritualium, quæ regna percipiunt ab Eccleſia. Tum, quia ad honorem ipſius Dei facta fuit, & ſacrilegium eſſet immane, illam repetere. Tum denique, quia Romanus Pontifex, & Cõcilia generalia, quæ ſunt Superiora, cõceſſerũt, & illa confirmarunt, vnde non eſt amplius in poteſtate Principum, illam reuocare, vt tenent ordinarij Doctores in c. Conſtantinus, 96. diſtin. in c. ego Ludouicus, 36. diſtin.

9 Infertur ſecundò, quòd pœna excõmunicationis, lata eſt, ne laici tributa à clericis exigant abſque licẽtia Rom. Pontif. vt in c. quamquam, de cenſib. lib. 6. & in c non minus, & in c. aduerſus, de immunitate Eccleſiarũ, in c. nouerit, de ſententia excommunicat, cum alijs.

10 Infertur tertiò, quòd ex prædicta generali regula exemptionis, aliqui caſus excipiuntur. Primus eſt, ſi clericus negotiationes exerceat, & fuerit ter monitus, vt deſiſtat, tunc in odium ipſius Romanus Pōtifex inſtituit, vt non gaudeat immunitate bonorũ, vt in dicto c. quamquam, de cenſibus, in c. ex literis, de vita, & honeſtate clericorum. Secundus caſus erit, quando aliqua bona peruenerint ad Eccleſiam, quæ aliquod onus annexum, & grauamen perpetuum, & inuariabile continebant, anteà quàm ad poteſtatem Eccleſiæ peruenirent. Tertius caſus, quando contributio facienda eſt æquè in vtilitatem clericorum, & laicorum. V. g. ſi fit propter reparationem agrorum, vel fluminum vicinos agros clericorum, & laicorum inundantium: & ad hoc reducitur, vt volunt aliqui, contributio, quæ fit à perſonis Eccleſiaſticis, pro reparatione pontium, fontium, viarum publicarum, & aliorũ ſimilium: in reliquis alijs contributio fieri non poteſt, niſi ex conceſsione Romani Pontificis, vt in c. aduerſus, de immunitate Eccleſiarum, & ibi ordinarij Doctores videndi ſunt.

11 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum: nam reſpondetur; quòd licet tributorum exactio, collectio ſit, & accumulatio bonorum communium; tamen in eis frequenter committitur acceptio perſonarum, cùm debita proportio in diſtributionibus, & exactionibus non ſeruatur, nam frequenter minus grauandi grauantur, vt declaratum eſt, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum: nam reſpondetur, quòd æquitas, & miſericordia pupillos, ſeniores, & cæcos patrocinatur, ne miſeris afflictio addatur, & propter hoc in iuribus citatis excipiuntur à ſolutione tributorum: à clericis autẽ exigi.

exigi nõ poſſunt, quia ſunt exempti, vt declaratum eſt, & ſoluitur ſecundum argumentum.

Non obſtat tertium, & vltimum: nam reſpondetur, quòd licèt Rex poſsit liberè eximere Nobiles à ſolutione tributorum, prout exempti ſunt, propter eorum clara geſta: tum, quia ad Rempublicam tuendã deſignati ſunt, & poterit alios de nouo nobiles conſtituere, & eximere: hoc tamen intelligitur, dummodo pars illa tributi, qua vnus releuatur, non accreſcat reliquis qui ſoluunt; ſed excipiatur à ſumma, quæ Principi debetur, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum, n. 1.
Proponuntur tria argumenta, n. 2.
Conſtituitur concluſio, & probatur, n. 3.
Actus iudicij dicuntur bona communia, & quando propria, declaratur, n. 4.
Iudicium, quantùm ad formam, & ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam, declaratur, nu. 5.
Ea, quę à iudice efficiuntur, in multiplici differentia ſunt, declaratur, n. 6.
In quibus actibus iudicij poteſt contingere acceptio perſonarum, declaratur, n. 7.
Quando iudex excuſatur ab acceptione perſonarum, declaratur, num. 8.
Satisfit argumentis propoſitis, n. 9.

ARTICVLVS III.

1 Vtrùm in iudicijs locum habeat peccatum acceptionis perſonarum.

2 PRimò pro parte negatiua argumentor tripliciter, ad oſtendendum, quòd in iudicijs locum non habet peccatum acceptionis perſonarum, ſic. In his, quæ mero iudicis arbitrio remiſſa ſunt, acceptio perſonarum locum non habet, vt ſententiam in die feſto ferre, terminum probatorium prorogare, vel abbreuiare, & ſimilia: ergo in iſtis, cùm non ſint debita, ſed gratuita, peccatum acceptionis perſonarum locum non habet.

Secundò. Acceptio perſonarum eſt, quæ opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ, vt in d. diſp. 1. art. 2. dictum fuit, ſed quæ in iudicio tractantur, ad iuſtitiam commutatiuã ſpectãt, vt æqualitas inter particulares perſonas ſeruetur, vel vindicta malorum, quæ etiam ad eandem iuſtitiam reducitur, vt in d. diſp. 1. art. 1. dictum fuit: ergo in eis locũ non habet acceptio perſonarum.

Tertiò. Iudicium immediatè eſt actus iuſtitię legalis, & mediatè iuſtitiæ cõmutatiuæ impellens iudicem, vt ęquè iudicet: ergo non habet locũ in præſenti acceptio perſonarum, quod eſt vitium contra iuſtitiam diſtributiuam in bonis communibus diſtribuendis.

3 His non obſtantibus, veriſsima eſt noſtra concluſio. *In iudicijs locum habet peccatum acceptionis perſonarum.*

Probatur auctoritate, & ratione. Auctoritas eſt Exodi c. 23. *Pauperi quoque, non miſereberis in iudicio*: & Prouerb. c. 18. *Accipere perſonam in iudicio, non eſt bonum*: &

ratio eſt, quia in iudicijs bona cõmunia diſtribuuntur, ſecundùm formam iuſtitiæ diſtributiuæ, vt infrà declarabitur: ergo in eis acceptio perſonarũ locum habere poteſt. Patet etiam auctoritate text. in reg. in iudicijs, de reg. iur. lib. 6. tex. in l. 2. ff. de reg. iur. tenẽt S. Th. 2. 2. q 63. ar. 4. Sot. de iuſt. & iur. lib. 3. q. 6. ar. 5. Bañez, & Arag. d. q. 63. art. 4.

4 Sed vt hoc clariùs intelligatur, aliqua ſupponẽda ſunt. Primò ſupponimus, quòd actus, qui fiunt in iudicijs à iudice, dupliciter (moraliter loquendo) conſiderari poſſunt. Vno modo, vt ſunt indifferentes, & in potentia, ante quã applicentur, & approprientur alicui perſonę in iudicio: & hoc modo videntur eſſe quædam bona communia, quæ poſſunt applicari per iudicẽ huic, vel illi, cùm nullius tunc ſint propria. Alio modo poſſunt conſiderari ipſi actus iudicij, dum appropriantur alicui, & tunc non dicuntur amplius bona communia, ſed propria illorum, quibus benè, vel malè applicãtur, vel appropriantur, vt in art. 1. præſentis diſputationis, n. 8. dictũ fuit, & infrà diſp. 4. ar. 1. n. 7. dicẽdum erit. Et tenet Greg. de Valẽtia, tom. 3. diſp. 5. q 7. p. 4.

5 Supponimus ſecũdò, quòd S. Tho 2 2. q. 60. ar. 1. determinauit, omne iudiciũ eſſe actũ, ſeu actionẽ iuſtitiæ, nulla facta declaratione, an eſſet actus iuſtitię cõmutatiuę, vel diſtributiuæ: at verò, q. 63. ar. 4. in ſolut. ad primũ docet, q; quamuis iudicium, quantùm ad materiam, & rem iudicatam aliquando ad commutatiuam, aliquando ad diſtributiuam iuſtitiã pertineat, ſed tamen quantũ ad formã iudicij, ſemper pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam, ex eo quòd propriũ ſit iuſtitiæ diſtributiuæ proportionẽ inter plures ſeruare: & forma iudicij in hoc cõſiſtit, vt debita proportio inter partes litigantes ſeruetur, ita vt vnuſquiſq; accipiat in eo ſecundùm proportionẽ ad ius, quod habet. Ex quo fit, cùm iudex teneatur ex officio prędictã formã ſeruare

quòd dum eam non ſeruat, ex eo quòd tribuat vni litigãtium in iudicio, non ſecundùm proportionem dignitatis cauſæ, vel dum attendit ad id, quod non debet, ſcilicet, ad conditioné non facientem ad cauſam diiudicãdam, tunc dicitur nõ ad cauſam debitam, ſed ad perſonas reſpicere, ſcilicet, ad amicitiam, preces, odium, fauorem, & tunc iudicium corrumpitur, & peccatũ acceptionis perſonarum cõmittitur, quod eſt in ipſo iudice grauius, ex eo quòd ipſe peculiaris ſit cuſtos iuſtitiæ, & Ariſt. 5. Ethic. appellat eum *Iuſtitiam animatã*. Nulla poteſt eſſe immanior peruerſio, quàm quòd ab ipſo iuſtitia corrumpatur; eſt enim perinde, ac ſi ipſa iuſtitia ſuis manibus dilaniaretur, aut certè ſi ratio ipſa contra ſe ipſam ageret; ita Sanctus Thomas locis ſuprà citatis, Aragon & Caietan. d. q. 63. art. 4. Sotus de iuſtitia, & iure, lib. 3. q. 6. art. 5.

6 Supponimus tertiò, quòd ea, quæ à iudice efficiuntur in iudicio, ſunt in duplici differentia; quædam enim ſunt à lege determinata, vt quòd iudex petitiones partis in iudicio recipiat, teſtes, informationes, & reliqua alia iudiciaria, in quibus, non eſt dubium, quòd ſi ipſe iudex nõ ſeruat ordinem, iudicij formam, & æqualitaté inter partes, quòd tunc peccatum acceptionis committat. Plura enim ſunt in iudicio, quæ à iure determinata non ſunt, ſed arbitrio, & prudentiæ ipſius iudicis relicta ſunt: & ratio eſt quia cùm lex non valeat complecti, & determinare omnes caſus, reliquit multa, vt determinentur prudentia, & arbitrio ipſius iudicis. Et hæc, quæ arbitrio illius ſunt commiſſa, ſunt in duplici differentia. Alia enim ſeruantur iudici in fauorem, & leuamen ipſius tantùm, vt quòd in die feſto poſsit audire litigantes, ferre, vel non ferre ſententias, & ſimilia. Quædam alia ſunt conceſſa in fauorem cauſæ, & litigantium, vt terminum probatorium reſtringere,

aut

Digitized by Google

aut prorogare, admittere talem fideiuſſorem, vel non admittere, & ſimilia: ita Doctores vt ſuprà.

7 Ex quo oritur modò difficultas: An in his, quæ remittuntur à lege arbitrio ipſius iudicis, etiã poſsit cõtingere vitiũ acceptionis perſonarũ. Ad quam difficultatẽ dico primò, quòd in caſibus illis, in quibus arbitrium conceditur in fauorem tantùm, & leuamen ipſius iudicis, nulla acceptio perſonarum contingere poteſt: & ratio eſt, nam quilibet in re propria eſt arbiter, & moderator, & præſertim cùm prædicta non ſint debita alicui: & propter hoc poterit iudex in feſto audire vnum ex litigantibus, alterũ verò non, abſque peccato acceptionis perſonarum. Dico ſecundò, quòd in rebus illis, quæ arbitrio ipſius iudicis relicta ſunt, ſed in fauorem partiũ, & cauſæ, contingere poteſt peccatũ acceptionis perſonarũ, quoties iudex non ſeruat formã iudicij. V. g. ſi concedit terminum probatorium in fauorẽ vnius ex litigantibus, & non alterius, ſine legitima cauſa, quia deficiente eſt reſpicere perſonas, & peccatum acceptionis committitur.

8 Aduertendum, quòd dixi, abſque legitima cauſa; nam ſi ex legitima cauſa factum fuerit, nullum peccatũ acceptionis committitur. V. g. Iudex tenetur innocentẽ, in quãtùm poteſt, defendere: ſi certiſsimè ſcit vnum ex litigantibus eſſe innocẽtẽ, & iniuſtè vexatum, tenetur, & poteſt eum defendere, & aliquid ei concedere, quod alteri denegetur, nam ex iuſta cauſa id facit, nec peccatum, nec acceptionem perſonarum committit, neque tenetur ad reſtitutionem aliquam faciendam alteri; quia iuſtitiam nõ violauit, dummodo hoc ſine ſcandalo efficiatur, quia tenetur etiam, vt perſona publica in iudicio ſecundùm conſcientiam publicam iudicare, & æqualitatem ſeruare; ita Sotus de iuſt. & iur. d. q. 6. art. 5.

Non

Non obſtat primum argumentum, nam reſpõdetur, quòd in his, quæ vti merè gratuita commiſſa ſunt arbitriõ ipſius iudicis, in fauorem, & leuamen tantùm illius, nõ cõtingit acceptio perſonarum; in reliquis autem, quæ conceduntur in fauorem litigãtium, & cauſæ benè committitur, vt declaratum eſt, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd licèt ea quæ tractantur in iudicio, aliquando ſint materiæ iuſtitiæ commutatiuæ, aliquando iuſtitiæ diſtributiuæ; quantùm autem ad formam iudicij, ſemper ſunt ſecũdùm formam diſtributiuæ, qua non ſeruata, peccatum acceptionis perſonarum committitur, vt declaratum eſt, & ſoluitur ſecũdum argumentum.

Non obſtat tertium, nam reſpondetur, quòd licèt iudiciũ immediatè ſit actus iuſtitiæ legalis, & mediatè iuſtitiæ commutatiuæ: quantùm ad formam eſt ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam, in eo enim diſtribuuntur etiam bona communia, & propter hoc, peccatum acceptionis contingere poteſt, vt declaratum eſt, & ſoluitur argumentum, articulus, & diſputatio tertia.

DE

DE RESTITVTIONE IN IVSTITIA diſtributiua.

DISPVTATIO Quarta.

IN TRES ARTICVLOS diuiſa.

In hac diſputatione agitur de reſtitutione, quæ facienda eſt in læſione iuſtitiæ diſtributiuæ.

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum, nu. 1.
Proponuntur ſex argumenta, nu. 2.
Inferuntur tres opiniones in hac materia, nu 3.
Oſtenditur neceſſitas, & obligatio reſtitutionis, nu 4.
Lex diuina, ſeu poſitiua requirit, quod beneficia, ſeu officia dentur dignioribus, nu. 5.
Obligatio reſtitutionis oritur ex læſione iuſtitiæ diſtributiuæ, vel commutatiuæ, nu. 6.
Beneficia, & officia quando dicantur bona communia, & quando propria, nu. 7.
Bona, quæ diſtribuuntur, in triplici poſſunt eſſe differentia, oſtenditur, nu. 8.

Digitized by Google

Diſtributor bonorum communium ad quo tenetur, nu. 9.
Concluſio prima conſtituitur, & probatur, nu. 10.
Concluſio ſecunda conſtituitur, & probatur, nu. 11.
Conſiliarij diſtributorum tenentur, ſicut diſtributores, numer. 12.
Satisfit argumentis propoſitis, nu. 13.

ARTICVLVS. I.

1 *Vtrùm diſtributor eligens dignum, omiſſo digniori, teneatur ad reſtitutionem.*

2 PRo parte negatiua argumentor, & probo, quòd diſtributor eligens dignum, dimiſſo digniori, non teneatur ad reſtitutionem. Primò ſic: Vbi nulla facta eſt iniuria, neque iniuſtitia, nulla reſtitutio debita eſt, ſed digniori prætermiſſo, nulla facta fuit iniuria, neque iniuſtitia, quia dignior nullum habet ius ad beneficium, ſiue ad officiũ: non habet ius in re, quia non habet poſſeſſionem rei, neque habet ius ad rem, id eſt ad poſſeſsionẽ rei recuperandam: ergo ei nihil erit reſtituendum.

Secundò argumentor auctoritate grauiſsimorum Doctorum aſſerentium, quòd ſolùm ex læſione, & violatione iuſtitiæ commutatiuæ oritur obligatio ad reſtituendum: nam ſicut œconomus, qui conducit operarios in vineam domini ſui dignos, dignioribus dimiſsis, non lædit iuſtitiam commutatiuam, nam conducit miniſtros idoneos iuxta quantitatem, & proportionem ſtipendij: ſic & diſtributor, qui ſe habet, vt œconomus Eccleſiæ, vel Reipublicæ, ſi dignum eligat, digniori dimiſſo, ſatisfacit Eccleſiæ, vel Reipublicæ; ergo non tenetur ad reſtituendum.

Tertiò.

Tertiò. Prælatus, qui confert beneficium conſanguineo, propter conſanguinitatem, eſt acceptator perſonarum, læditque iuſtitiam diſtributiuam, & nemo eum obligat ad reſtituendum: ergo falſum eſt, quòd violator iuſtitiæ diſtributiuæ teneatur ad reſtituendum.

Quartò ſic argumentor. Si ex læſione iuſtitiæ diſtributiuæ oriretur obligatio ad reſtituendũ, ſequeretur, quòd quoties beneficium conferatur digno, dimiſſo digniori, illud beneficium eſſet debitum ex iuſtitia digniori prætermiſſo, atq; per conſequens, dignus, cui beneficium fuit collatum, teneretur illud reſtituere, & reſignare digniori, quia occupauit ius illius, quod eſſet falſum, & contra communem conſenſum Doctorum: ergo etiam falſum erit, quòd diſtributor eligens dignum, dimiſſo digniori teneatur ad reſtitutionem.

Quintò ſic argumentor. Si diſtributor teneretur ad reſtitutionem, etiam ſequeretur, quòd conferens beneficium Petro bona fide, exiſtimãs illum fuiſſe digniorem, ſed deinde cognouit ſe fuiſſe deceptum, nam Ioannes excluſus erat dignior, teneretur tunc expoliare Petrũ illo beneficio, & conferre Ioanni, nam qui aufert ab alio id, quod ſibi ex iuſtitia erat debitum, quamuis faciat bona fide, ſtatim quòd contrarium nouerit, tenetur ad reſtituendum. Conſequẽs eſt falſum: ergo etiam falſum erit, quòd diſtributor teneatur ad reſtitutionem.

Sextò, & vltimò. Qui confert beneficium digno, multis dignioribus prætermiſsis, vel tenetur omnibus dignioribus reſtituere, aut vni, aut nulli: non omnibus, quia hoc videtur impoſsibile, nec vni, cùm non ſit maior ratio de vno, quàm de alio: ergo nulli facienda eſt reſtitutio.

3 Sed ante quàm concluſionem conſtituamus, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, quòd in hoc tres

Digitized by Google

ſunt opiniones. Prima opinio eſt Adriani, quem ſequitur Sotus de iuſtitia & iure, lib. 3. quæſtione 6. artic. 2. & lib. 4. quæſt. 7. art. 3. ad 6. & alij, qui volunt, quòd diſtributor eligens dignum ad beneficium, vel officium, digniori prætermiſſo, non tenetur ad vllam reſtitutionem faciendam: fundanturque rationibus adductis in argumentis, & præſertim illa, quòd ex læſione, & violatione iuſtitiæ diſtributiuæ, nunquam oritur obligatio ad reſtituẽdum, ſed ſolùm prædicta obligatio habet locum, quando violatur iuſtitia commutatiua ſola, vel diſtributiua ſimul cum commutatiua iuſtitia. V. g. dicunt iſti Doctores, quando eligitur ad officium, vel beneficium indignus, qui inſufficiens eſt, & non proportionatus ſtipendio officij, vel beneficij, ad quod aſſumitur, tunc verè violatur iuſtitia diſtributiua, & commutatiua ſimul: ſed tunc reſtitutio in beneficijs facienda eſt ſoli Eccleſiæ, & in officijs Reipublicæ læſis, & non dignioribus prætermiſsis: ſed ſi eligatur dignus, etiam quòd pretermittatur dignior, tunc nihil erit reſtituendum, quia idoneus, & proportionatus ſtipendio electus fuit, & iuſtitia commutatiua tunc non violatur, neque læditur, licèt violetur ſolùm iuſtitia diſtributiua, quia fuit electus dignus, digniori prætermiſſo. Sed licèt hæc opinio aliquo modo, & in Scholis defendi poſsit: in praxi autem eſt valde ſcrupuloſa, nam ex ea frequenter in grauiſsimum detrimentum Reipublicæ Eccleſiaſticæ, & ciuilis in officijs, & beneficijs, digniores, & vtiliores prætermitterentur.

Secunda opinio eſt aliorum aſſerentium, quòd diſtributor eligens dignum, digniori prætermiſſo, tenetur ſolùm ad reſtitutionem in Epiſcopatu, & in officijs curatis, in Cathedralibus, Collegiaturis, Canonicatibus Magiſtratibus, & Doctoralibus Eccleſiarum, & in reliquis benefi-

cijs,

cijs,quæ examine, & oppoſitione conferuntur, & in officijs,in quibus aliqua lege præcipitur, vt dignioribus cõferãtur,vt in Concil.Trid Seſſ.6.c.1.& Seſſ.24.c.1.& c.18. de reforma. & in Motu proprio Pij V. & in conſtitutionibus Vniuerſitatum, & Eccleſiarum, in quibus expreſsè pręcipitur,vt ſupradicta officia,vel beneficia dignioribus conferãtur:ita Nauarr.poſt alios,lib.2.c.2.de reſtitutione, illatione 16.Molin. de iuſt.& iur.tract.2.diſp.714.cũ alijs.

Tertia opinio,quæ verior,tutior, & conſentanea bono publico,temporali,& ſpirituali eſt:quòd diſtributor generaliter eligens dignum,digniori prætermiſſo, in omnibus beneficijs tenetur ad reſtitutionem. Et licèt clariùs hoc appareat expreſſum in Epiſcopatibus, beneficijs curatis, & in alijs,quæ oppoſitione conferuntur, relatis in præcedenti ſecunda opinione, verũ etiam erit,& generaliter in reliquis beneficijs,nam & iura, & Concilia multa generaliter loquuntur. Tùm, quia omnia ſunt bona communia,præmia,& honores meritorum, in fauorem digniorũ inſtituta,& dignior ius habet ad illa,iniuriaque fit ei contra iuſtitiam, ſi prætermittatur:ita S. Tho. & Caietanus, & non pauci alij infra citandi.

4 Supponimus ſecundò,lege diuina,naturali, & humana reſtitutionem ablati neceſſariò faciendam eſſe, vt remittatur peccatum, iuxta regulam Auguſtini: *Non remittitur peccatum,niſi reſtituatur ablatum*, de regulis iuris,lib.6.quæ illico facienda eſt, *Nam tantò ſunt grauiora peccata, quantò diutiùs infælicem animam detinent alligatam*, vt in c. fin. de conſuetudin. in c. cùm Eccleſiæ, de Simon.& tenet S.Thom.2.2.q.63.art.2.& 8.

Supponimus tertiò,leges Eccleſiaſticas apertiſsimè diſponere,vt beneficia, & officia,quæ pro cõmuni vtilitate inſtituta ſunt,dẽtur dignioribus,& ijs,qui magis prodeſſe

 poſſunt:

poſſunt:ſimiliter, & leges Reipublicæ in ſuis Magiſtratibus,id requirunt:& de beneficijs Eccleſiaſticis,etiam ipſe Deus eſt in exemplum in veteri Teſtamento,& Chriſtus in nouo,qui non elegit Petrum, niſi, vt cæteris digniorem, & in Concilio Baſileenſi traditur forma iuramenti eligendorum, videlicet. *Ego N. iuro, & promitto omnipotenti Deo, eum eligere, quem credam in ſpiritualibus, & temporalibus eſſe meliorem.* Hoc idem continetur in diuerſis iuribus, & in Concilio Tridentino locis citatis, in diſputatione præcedenti artic.5. & tenet Salon de iuſt. & iur.d.q.63.art.2.concluſione 3.cum alijs.

6 Supponimus quartò, quòd licèt conſtituere æqualitatem inter rem, & rem, ſit actus ſolius iuſtitiæ commutatiuæ, vt ſanctus Thom. tenet.2.2.q.62.art.1. tamen obligatio oriri poteſt, nō ſolùm ex læſione,& violatione iuſtitiæ commutatiuæ, ſed etiam ex violatione iuſtitiæ diſtributiuæ,videlicet,cùm indignus digno,vel dignus digniori præferatur, vt ex eodem D. Thoma in eodem articulo in reſponſione ad tertium argumentum colligitur, nam obligatio reſtitutionis ex violata æqualitatæ iuſtitie ſemper oritur, & vbicunque reperitur violatio prædictæ æqualitatis, ſiue ſit in contractibus, & commercijs, & in reliquis materijs commutatiuæ iuſtitiæ: ſiue ſit in diſtributionibus honoris, officiorum, & beneficiorum, quæ ſunt materiæ diſtributiuæ,per reſtitutionem ad æqualitatem, ſemper reducendæ ſunt per iuſtitiam commutatiuam,cuius munus hoc proprium eſt: ex iuſtitia diſtributiua,tenetur enim diſtributor ſeruare æqualitatem meritorum in diſtributionibus, at ſi non ſeruauerit ex commutatiua,tenetur damnum per reſtitutionem ad æqualitatem reparare:ſicut in iuſtitia legali, iudex tenetur leges ſeruare, & iuſtas ferre ſententias: at ſi iniquas ferat ſenten-

ſententias, reſtituere tenetur, non ex iuſtitia legali, ſed ex commutatiua iuſtitia, quod ex tali violatione reſultat. Sic igitur in præſenti, reſtitutio, actus eſt commutatiuæ iuſtitiæ, quamuis ex tranſgreſsione iuſtitiæ diſtributiuæ emanauerit; ita ſanctus Thom. 2. 2. d. q. 62. art. 2. ad 3.

Ex hac doctrina colligitur primò, quòd nũquã ſit læſio iuſtitiæ diſtributiuæ, quin conſequẽter non lædatur iuſtitia commutatiua: & ſic diſtributor eligens dignum prætermiſſo dignori, tenetur ad reſtitutionem: ita Arag. in com. D. Th. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 3. Bañez & Salon, q. 63. ar. 2. Eſtque pactum implicitum eligendi digniorem inter Rempub. & diſtributorem, vt conſtat ex dict. num. 6. 7. & ſequentibus. Colligitur ſecundò, ex quo obligatio reſtitutionis ſemper oritur ex debito violato, parum refert, quòd vno, vel duobus titulis, res violata debeatur, adhoc, vt reſtitutio facienda ſit: ita Aragonius, dict. q. 62. art 2. Salon d. q. 63. art. 2. controuerſia 3.

7 Supponimus quintò, & ſæpè dictum eſt, beneficia Eccleſiaſtica eſſe bona commmunia, debita perſonis Eccleſiaſticis dignioribus, ita vt tale beneficium vacans debeatur alicui illorum. Sed aliter debetur ante vacationem, & aliter poſt vacationem: ante vacationem debetur beneficium digniori, vt bonum commune, & vt res communis diſtribuenda, ſed poſt vacationem beneficij; & cùm inchoatus ſit actus ipſius diſtributionis, accedit, & incipit id, quod erat bonum commune, & res communis ad eſſe proprium illius dignioris petentis, & quantò plus proceſsit actus diſtributionis, tantò magis acceſsit beneficium ad eſſe proprium ipſius dignioris petentis, ita vt in fine diſtributionis, id quod erat, & dicebatur commune bonum; vocetur proprium ipſius dignioris. Ex quo fit, quòd diſtributor priuans digniorem tali beneficio, ſpoliat:

liat cum tali bono, & tenetur ad reſtitutionem ad æquale, vel de alijs bonis Eccleſiaſticis, vel de proprijs: ita Caietanus & Aragonius, 2.2.q. 62. art. 1. & 2. cum alijs.

8 Supponimus ſextò, quòd bona, quæ diſtribuũtur, ſunt in triplici differentia. Quædam enim ſunt propria ipſius diſtribuentis, vt ea, quæ donationibus, vel teſtamentis conferuntur, & in iſtis nulla obligatio reſtitutionis reperitur: quoniam non ſunt debita ex iuſtitia, ſed gratuita, & in re ſua quilibet eſt moderator, & arbiter. Alia ſunt bona, quæ principaliter ſolùm inſtituta ſunt in fauorem, & vtilitaté ciuium. V.g. ea, quæ diſtribuuntur ex ærario publico, ex Monte pietatis, & pijs fundationibus, ad ſubueniendum miſerabilibus perſonis, Eccleſijs, monaſterijs, & alijs pijs locis, in quibus bonis, ſi violata fuerit iuſtitia diſtributiua, tùm diſtribuentes, tùm impedientes tenentur ad reſtituendum perſonis, & locis læſis, totum illud, quod minus datum fuit, quàm dare tenebantur. Alia denique ſunt bona communia, quæ principaliter, primò, & per ſe inſtituta ſunt in vtilitatem publicam, vt eſſent ſtipendia eorum, qui in Eccleſia, vel in Republica aliquod munus exerceant, minùs principaliter, & ſecundariò fuerunt etiam iſta inſtituta, vt eſſent prȩmia virtutis, & literarum, qualia ſunt beneficia, & officia publica: & de iſtis vltimis bonis communibus loquimur in præſenti materia.

9 Supponimus ſeptimò, quòd qui huiuſmodi bona communia diſtribuunt, ad duo tenentur. Vnum eſt vtilitas Eccleſiæ, ſeu reipublicæ, ſcilicet, vt illum eligant, qui dignior, & vtilior ſit ad exercendum illud munus, ad quod eligitur, & ad hoc tenentur electores ex iuſtitia commutatiua. quam inter Eccleſiam ex vna parte, & miniſtrum ex alia conſtituere debent, faciendo æqualitatem inter miniſtrum, & ſtipendium, ad quod eligitur. Tenentur

etiam

etiam attendere, & reſpicere ad merita eorum, inter quos fit diſtributio, nam cùm beneficia non ſolùm, vt dictum eſt, ſint ſtipendia, ſed etiam præmia meritorum, quæ ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam dignioribus conferenda ſunt, ad quæ præmia petēda ipſi digniores, ius & actionem habent, grauiſsima iniuria fit illis cùm omittũtur: ita Caietanus, & Aragonius cum alijs, locis citatis.

10 His omnibus præhabitis, ſit prima concluſio: *Diſtributor eligens dignum omiſſo digniori, non ſolùm multipliciter peccat mortaliter, verùm etiam tenetur ad reſtitutionem ad æquale prætermiſſo digniori faciendam.*

Probatur concluſio: & quoad primam partem, quòd peccet mortaliter, iam probata eſt in diſp. 1. art. 2. & art. 5. Quòd autem teneatur ad æqualem reſtitutionem, etiam patet. Primò ex eo, quia diſtributor tenetur ex iuſtitia diſtributiua facere, quòd bona communia approprientur, & fiant propria digniorum: ergo, ſi diſtributor non ſatiſfacit huic obligationi, tenetur ad æqualē reſtitutionem. Tùm etiam, quia, qui tenetur ex bonis Communitatis mihi dare centum, & non dat, cùm dare poſsit, planè infert mihi damnum, vt centum, & per hoc iuſtitia commutatiua violatur, & ſuppoſita diſtributionis lege, ex qua centum mihi debentur, at qui hæc mihi non dederit, ad reſtitutionē æqualē, mihi tenetur. Tùm quia paria ſunt auferre ab aliquo, quod ſuũ eſt, & non dare quod ei debetur: ſed qui digniori nō dederit, quod ei debetur, negat rē debitā ei ſoluere: ergo tenetur eodē modo, ac ſi ab eodē abſtuliſſet, reſtituere. Tũ deniq;, quia vbi nō ſunt taxata merita, omnia per ſe pertinēt ad rectā diſtributionē faciendā: ergo diſtributor nō eligens digniorē, lædit iuſtitiā diſtributiuā, dũ præfert habentē minora merita, lædit quoq; cōmutatiuā, cùm non ſeruet pactũ, ſub quo habuit

Digitized by Google

dominium, vel ius à Chriſto, vel à Republica ad benè, & fideliter eligendum: ergo tenetur ad æqualem reſtitutionem.

Fulcitur etiam hoc ex Concilio Tridentino, Seſſ. 6. c. 1. de reforma. & Seſſ. 24. c. 1. & c. 18. de reforma. & ex Motu proprio Pij V. ſupra citato, ex quibus habentur hęc verba, *Non aliter, niſi digniori detur beneficium.* Vnde euidenter colligitur, quòd ſi alteri conferatur, contra legem, & contra iuſtitiam delinquetur: & ſic electores damnum collatum, per reſtitutionem reparare tenentur. Tùm quia ex prædictis locis citatis ſententia noſtra corroboratur, dum datur digniori ius, & actio, in foro iudiciali contra ipſum dignum ad petendum, & ad appellandum coram ſuperiori: & quòd ſuperior poſsit reuocare collationem factam ipſi digno, eſt ferè hoc oſtendere, beneficium debitum fuiſſe, & proprium de iuſtitia ipſius dignioris, & ex conſequenti, ſi diſtributor digniorem omiſerit, tenebitur ei ad reſtitutionem. Patet etiam auctoritate grauiſsimorum Doctorum, inter eos Sanctus Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ad tertium, Caietanus. d. q. 62. artic. 1. & 2. Ricardus, & Paludanus in 4. diſt. 15. Silueſter, verbo, *Reſtitutio*, c. 3. §. 12. Aragonius, Bañez, Salon, dict. q. 62. art. 2. Medina inſtructione confeſſorum, §. 13. Ludouicus Lopez 1. part. inſtructorij, cap. 125. cum alijs.

11 Sit ſecunda concluſio, *Diſtributor eligens dignum, digniori prętermiſſo, tenetur quoque ad reſtituendum Eccleſię, ſeu Reipublicę læſis.*

Probatur hæc concluſio, quia Eccleſia, vel Reſpublica, omiſſo digniori, & vtiliori in officio, vel beneficio, nõ habet omne bonum ſibi debitum à diſtributore, imò minus, quàm debuerat habere: ergo diſtributor tenetur illis reſtituere ob damnum receptum, ex omiſsione dignioris.

Tùm.

Tum etiam, quia diſtributor tenetur benè eligere, & iuſtè diſtribuere, & tenetur prouidere illis meliorem, & vtiliorem miniſtrum, ſed diſtributor non eligens digniorem, & vtiliorem, priuat Eccleſiam, ſeu Rempublicam illo vtiliori miniſtro, & conſequenter eam ſpoliat illis vtilitatibus, quas ex illo meliori reportaret, quod euidenter eſt lædere eam contra iuſtitiam, & cum iniuria: ergo tenetur ad reſtitutionem damnorum receptorum, & vtilitatum omiſſarum: ita Salon de iuſt. & iur. d.q.62.art.3. controuer.3 cum alijs.

12 Aduertendũ deniq; eſt, quòd eodẽ modo conſiliarij ipſius diſtributoris, non ſolũ peccãt mortaliter multipliciter ex iniuſta diſtributione, vt omnes Doctores fatentur, ſed etiam tenentur ad reſtitutionem ad æquale digniori prætermiſſo, & Eccleſiæ, vel Reipublicæ quoque, vt dictum eſt: & ratio eſt, nam ipſi ſunt cauſa principalis damni, quia diſtributor eorum conſilio regitur, & mouetur, & tenentur ipſi quoque ex officio ad inchoandam, & perficiendam diſtributionem illam beneficij, vel officij, pro digniori, vt in ſequenti articulo videndum erit: ita Caietanus dict.q.62.art.2. Salon dict.q.62.art.3. controuerſ.3. cum alijs.

13 Quibus ſic conſtitutis, non obſtant in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd licèt dignior prætermiſſus, non habeat ius in re, nam non habuit poſſeſsionem officij, vel beneficij: habuit tamen ius ad rem ad beneficium petendum ante collationem factam ipſi digno, & licèt non poſsit agere contra ipſum dignum in foro iudiciali regulariter: habet tamen, ius contra electorem, qui eum contra iuſtitiam omiſit in foro conſcientiæ, qui tenetur ei reſtituere damnum, vt declaratum eſt, & ſoluitur primum argumentum.

Digitized by Google

Non obſtat ſecundum argumentum, nam reſpondetur, quòd non ſolùm, qui lædit iuſtitiam commutatiuam, tenetur ad reſtitutionem, ſed etiam, qui lædit iuſtitiam diſtributiuam, ſiue ipſa diſtributiua ſola lædatur, ſiue ſimul cum commutatiua, vt ſupra num. 6. declaratum fuit, & dum dignus eligitur, digniori prætermiſſo, ſecundùm noſtram ſententiam, vtraque iuſtitia violatur, diſtributiua, & commutatiua. Nec obſtat ſimilitudo œconomi, quæ in argumento refertur: nam reſpondetur, quòd ipſe œconomus non eſt publicus miniſter, ſicut eſt diſtributor, & ſoluitur ſecundum argumentum.

Non obſtat tertium, nam reſpondetur, quòd prælatus dùm confert beneficium conſanguineo, eodem modo ſe debet habere, ſicut quando confert alijs extraneis, ſi conſanguineus erit dignior alijs, vel æquè dignus, ad nihil tunc tenetur: ſi autem fuerit minùs dignus alijs, contra diſtributiuam facit & tenetur ad reſtituendũ digniori, vt declaratum eſt, & ſoluitur tertium argumentum.

Non obſtat quartũ de Prælato, quia adhibuit diligentiam, & bona fide contulit beneficium digno, exiſtimans illum fuiſſe digniorem, qui ad nihil tenetur, nec ipſe dignus electus tenetur beneficium digniori renuntiare, quia ipſe dignus non erat elector, neque digniorem impediuit, ſed tantùm curauit ſibi prodeſſe, & dignior in illo caſu nullum ius habet, in nullo foro, neque contra electorem, neque cõtra dignum, vt dictum eſt, & ſoluitur quartum argumentum.

Non obſtat quintum argumentum: nam reſpondetur, quòd Epiſcopus, qui bona fide, tempore electionis iudicauit, Petrum digniorem fuiſſe, etiam, quòd deinde poſt electionem factam conſtiterit ei fuiſſe deceptum, quia Ioannes electus, erat dignior, non tenetur expoliare Pe-

trum,

trum, & induere Ioannem digniorem, ſed ſatisfuit, quòd pro illo tempore electionis, Petrum nouerit digniorem, vt ad nihil teneatur, & ſoluitur quintum argumentum.

Non obſtat ſextum, & vltimum; nā reſpondetur, quòd licèt metaphyſicè intelligi poſsit, beneficium collatum fuiſſe digno, multis dignioribus prætermiſsis: moraliter tamen hoc rarò, vel nunquam contingit, & propter hoc reſtitutio vni digniori omiſſo facienda eſt, & dato caſu, quòd contingat plures fuiſſe digniores prætermiſſos, tunc omnibus facienda eſt reſtitutio, quia omnibus facta fuit iniuria. Reſtitutio autem facienda eſt in alio officio, vel beneficio æquali, vel de proprijs bonis ipſius diſtributoris, vt dictum eſt, & tenet cum alijs pluribus Aragonius in præſenti, & ſoluitur argumentum & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum, nu. 1.

Proponuntur tria argumenta ad probandum, quòd impedientes non teneantur ad reſtitutionem, nu. 2.

Supponuntur omnia relata in præcedenti articulo, nu. 3.

Impedientes ſunt in duplici differentia, & declaratur, nu. 4.

Impedientes iuſtè ad nihil tenentur, nu. 5.

Qui impedit dolo & fraude, non dicitur iuſtè impedire, oſtenditur, nu. 6.

Conſtituitur prima concluſio, & probatur efficacisſimis rationibus, nu. 7.

Impediens cum dolo, & fraude, auget peccatum eorum, & fulcitur obligatio reſtitutionis, nu. 8.

Conſtituitur ſecunda concluſio, & probatur, & declaratur, num. 9.

Satisfit argumentis in principio poſitis, nu. 10.

Digitized by Google

ARTICVLVS. II.

1 *Vtrùm impedientes, ne officium, vel beneficium aliquis conſequatur, teneantur ad reſtitutionem.*

2 PRimò pro parte negatiua argumentor & probo, quòd impedientes non teneantur ad reſtitutionem, ſic. Vt propriè dicatur reſtitutio, neceſſe eſt, vt aliquis ſit deiectus à poſſeſsione, vel dominio rei ſuæ, ſed qui impeditur à poſſeſsione, quam nondum habet officij, vel beneficij, non eſt deiectus à poſſeſsione, vel dominio rei ſuæ: ergo qui impedit, non tenetur ad reſtitutionem.

Secundò. Qui petit beneficium, vel officium ſimul cum alijs oppoſitoribus & cõcurrentibus, quos ipſe cognouit eſſe digniores, impedit iniuſtè ipſos digniores, & tamen ſi ſibi conferatur beneficium, non tenetur ad illud reſtituendum ex communi conſenſu Doctorum: ergo falſum eſt, quòd impediens teneatur ad reſtitutionem.

Tertiò. Qui ſolis precibus inducit electores, vt conferant beneficium minùs digno, non tenetur ad reſtitutionem digniori, vt patet à ſimili, nam quando aliquis precibus induxit aliquem, ne daret eleemoſynam pauperi, vel ne relinqueret hæreditatem, ſeu legatum alteri, non tenetur ad aliquam reſtitutionem faciendam ei, quē impediuit: ergo neque in noſtro caſu, impedientes tenebuntur ad reſtituendum.

3 Sed antequam concluſiones conſtituamus, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, & repetuntur in præſenti omnia illa, quæ in præcedenti articulo relata ſunt.

Suppo-

4 Supponimus ſecundò, quòd impedientes ſunt in duplici differentia. Alij ſunt, quibus ex officio incumbit diſtributio beneficiorum, & officiorum, vt ſunt conſiliarij diſtributorum. Alij autem ſunt, vt extranei, & priuatæ perſonæ, ad quos diſtribuere non ſpectat. Diſtributores illi, quibus ex officio id incumbit, tenentur ex officio, & de iuſtitia facere, vt bona iſta communia, & munera publica applicentur, approprientur, & fiant propria actu, & in effectu illorum, quibus ſeruata æqualitate meritorum, conferenda ſunt. Cæteri verò, qui vt extranei, & vt priuatæ perſonæ ſe habent, & non incumbit eis munus diſtribuendi, tenentur tantùm, non adhibere impedimentum, ne illa bona communia, propria non efficiantur, & dignioribus non applicentur. Habet enim vnuſquiſque, hoc ius à natura, ne quis impediat ipſi bonum, quod obtinere poteſt, & ius habet ad illud petendum: ita Caietanus 2.2.q.62.art.2. Salon de iuſt. & iur. q.63. art.2. controuerſia 3. Silueſter verbo *Reſtitutio*, c.3. §.12.

5 Supponimus tertiò, quòd aliquis poteſt impedire aliquem iuſtè, ne conſequatur officium, vel beneficium, ad quod conſequendum nullum ius ex iuſtitia commutatiua, vel diſtributiua habet, & tunc impediens ad nullam reſtitutionem tenetur, quia nullam iuſtitiam violauit. V.g. ſi quis impediuit, ne indigno detur beneficium, digno, vel digniori prætermiſſo: & ratio eſt, quia impediens in iſto caſu, intẽdit honorem Dei, & Eccleſiæ vtilitatem, imò curat, vt iuſtitia diſtributiua ſeruetur, vt in l. nemo, ff. de rei vend. & tenent Sanct. Thom. dict. q.62. art.2. ad quartum, Paludan. in 4. diſtin. 15. quæſt.2. art.2. Silueſter loco ſupra citato. Couarru. 2.p. in reg. peccatum, §.7. n.8. conclu.1. cum alijs.

6 Aduertendum tamen eſt, quòd dixi de indigno, qui

ad

ad beneficium petendum nullum ius habet, ne ex hoc licentia tribuatur ad obſtandum dignis, vel dignioribus, nam hoc fieri non poteſt, & manifeſtè fit eis iniuria, & iniuſtitia, ſi impediunt ad conſequendam rem, ad quam ius, & actionem habebant, & in hoc impedientes à periculo ſalutis æternæ, & obligatione reſtitutionis, defendi non poſſunt, & præſertim, ſi id dolo, & fraude factum fuerit.

7 His conſtitutis ſit prima concluſio. *Conſiliarij diſtributoris impedientes digniores, ne officia, vel beneficia conſequantur, etiamſi id faciant, ſolùm precibus, & perſuaſionibus, nulla interueniẽte fraude, neque dolo, non ſolùm peccant multipliciter mortaliter, verùm etiam tenentur æqualem beneficij valorem, dignioribus prætermiſsis ſatisfacere, vel de proprijs bonis, vel in alijs beneficijs.*

Probatur concluſio euidentiſsimis rationibus. Prima eſt, nam impedientes iſti tenentur ad reſtitutionem, ex duabus cauſis, ex violatione iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ nõ fuit ſeruata cùm ad id tenebantur, & ex violatione boni propoſiti Principis, diſtributoris, ſeu collatoris, reſpectu illius perſonæ, cui dandum erat beneficium. Tùm, quia impedientes, ne beneficia dentur dignioribus, ſpoliant eos iure, & actione eorum, ipſis ex iuſtitia debita, quam licitè obtinere potuerant. Tùm, quia conſilijs iſti priuant tam diſtributorem, iure legitimè dandi, quàm digniores, qui recipere debent, iure recipiendi. Tùm, quia ipſe diſtributor conferens beneficium digno, dimiſſo digniori, tenetur ad reſtitutionem, vt in præcedenti articulo dictũ fuit: ergo à fortiori eodem modo, iſti impediẽtes tenentur ex illa regula, *Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur*, vt in cap. fin. de iniurijs. Tùm denique, quia faciunt contra iuſtitiam commutatiuam, & diſtributiuam: nam iſta bona cõmunia & pręmia, ſunt dignioribus, & vti-

lioribus

lioribus conferenda, & propter hoc tenentur ad reſtitutionem æqualem, dignioribus faciendam, & Eccleſiæ, vel Reipublicæ, vt in præcedenti articulo dictum fuit, ita S.Thom. loco ſupra citato, quem ſequuntur Caietanus, Aragonius, Bañez, Salon, Ricardus locis ſupra citatis, & Vazquez in opuſc. ver. beneficij. c.2. §.3. dub.19. & 20.

Aduertendum quoque, quòd notabiliter dixi cum D. Thoma in concluſione: etiam, quòd id faciant ſolùm precibus, & perſuaſionibus, nullo dolo, neque fraude interueniente: ad oſtendendum, quòd tunc fortiùs militat iſta obligatio reſtituendi, ſecundùm alios Doctores, ſi factũ fuerit impedimentũ dolo, & fraude, vt in l.2. §. idem Labeo, ff. de aqua pluuia arcenda, imò, & peccatum mortale augetur, & obligatio reſtitutionis fulcitur, & roboratur, nam faciunt tunc iſti conſiliarij contra obligationem iuſtitiæ, ad quam tenentur ex ſtipendio ſuſcepto, contra iuramentum præſtitum, contra fidelitatem diſtributoris, ſpoliando merentes proprio bono, lædunt illos, & Rempublicam cum graui ſcandalo, contra charitatem, & iuſtitiam, contra honorem, & commodum, quod ex illo bono conſequi potuerant: ita communiter Doctores fatentur.

9 Secunda concluſio. I*mpedientes illi, extranei, qui, vt priuatæ perſonæ ſe habent, & non incumbit eis munus diſtribuendi, tenentur aliquando reſtituere, ſecundùm magis, vel minus, arbitrio boni viri, & aliquando in totum, & ad æquale damnum.*

Probatur concluſio, & declaratur. Primò probatur rationibus ſupradictis in articulo præcedenti, num.10. Secundò, quia tenentur iſti impedientes, ne ſint impedimento alijs, vt bona communia nõ efficiantur propria digniorum, nam vt dictum eſt, habet vnuſquiſq; hoc ius

 à natura,

à natura, ne quis impediat ipſi bonum, quod obtinere poteſt. Et ſi illi fuerunt impedimento, in principio diſtributionis beneficij, quando beneficium, quod erat commune bonum incipiebat eſſe proprium alicuius: vel in medio tempore diſtributionis, & quantò magis actus diſtributionis proceſsit, magis tenentur reſtituere, ſecundùm arbitrium boni viri, quia tunc magis accedebat beneficium ad eſſe proprium ipſius dignioris petentis. Si autem illi fuerunt impedimento in fine, & vltimo actu diſtributionis, quando decretum erat, illud dari digniori prætermiſſo, tunc impediens tenetur ad reſtitutionem ad æquale, quia tunc beneficium non erat amplius commune bonum, neque accedebat ad eſſe proprium, ſed erat merè proprium bonum ipſius petentis dignioris, etiam, quòd non fuerit adhuc collatum, firmata gratia, neque executioni mandata, quia in tali caſu valet regula illa, *Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur*, & illa alia, *parum pro nihilo reputatur*: ita Sanctus Thomas, Caietanus, Bañez, Aragonius, dict. q. 62. artic. 2. Ludouicus Lopez, Vazquez in opuſculo, ver. beneficijs, c. 2. §. 3. dub. 19. & 20. cum alijs.

10 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd licèt dignior non habeat ius in re, habet tamen ius ad rem, propinquum, vt declaratum eſt, & impediens iniuſtè, ne quis conſequatur, quod ei iure debetur, maximum damnum infert in bonis, & honore, & propter hoc tenetur ad reſtitutionem, vt declaratum eſt, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum: nam reſpondetur, quòd dignus petens beneficium, dum petit cum alijs concurrentibus, nullam iniuriam facit dignioribus, quia ipſe non eſt elector, & poteſt licitè proponere ſua merita, & prop-

ter

Digitized by Google

ter hoc reſtituere non debet; & ſoluitur ſecundum argumentum,

Non obſtat tertium, nam reſpondetur negando paritatem, & ſimilitudinem adductam in argumento: nam aliter eſſet impedire in rebus proprijs, nullis debitis, quæ gratuitè diſtribuuntur, in quibus committitur peccatum contra charitatem, non autem contra vllam iuſtitiam; & ſic non currit obligatio reſtitutionis in eis. At in rebus illis, quæ ex iuſtitia debentur, vt ſunt bona communia, officia, & beneficia, peccatum committitur contra iuſtitiam, & conſequenter intrat obligatio reſtitutionis, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

Proponitur quæſitum, nu. 1.

Proponuntur tria argumenta, nu. 2.

Conſtituitur concluſio, & probatur, nu. 3.

Qui proximos lædunt, aliqui ſunt principales, aliqui complices, & declaratur, nu. 4.

Quid intelligatur per iniuſtam acceptionem, declaratur, nu. 5.

Nouem modis quis poterit eſſe cauſa iniuſtæ acceptionis, declaratur, nu. 6.

Executor iniuſtæ actionis non includitur in ſupradictis nouem modis, declaratur, nu. 7.

Cooperantes in ſex primis modis concurrunt directè, & poſitiuè, declaratur, nu. 8.

Cooperantes in tribus ſubſequentibus modis, concurrunt indirectè, & negatiuè, nu. 9.

Proponitur prima difficultas de illis, qui tenentur maleficium vitare, nu. 10.

Digitized by Google

Proponitur ſecunda difficultas, ſi ſinguli cooperantes teneantur in ſolidum maleficij damnum reſtituere, nu. 11.

Proponitur tertia difficultas de conſiliarijs præſtantibus iniquè ſuffragium, ſi omnes teneantur ad reſtituendum, nu. 12.

Proponitur quarta difficultas, an dimiſſa vni obligatione reſtituendi, cenſeatur dimiſſa alijs cooperantibus, numer. 13.

Satisfit argumentis propoſitis in principio, nu. 14.

ARTICVLVS. III.

1 *Vtrùm illi, qui non acceperunt, teneantur ad reſtitutionem.*

2 PRimò pro parte negatiua argumentor, & probo, quòd qui non accepit, non tenetur ad reſtituendum, ſic. Reſtitutio eſt quædam pœna accipientis, ſed nullus debet puniri, niſi qui peccauit: ergo nullus debet reſtituere, niſi qui accepit.

Secundò. Lex reſtitutionis exigit, vt plus non refundatur, quàm fuerit ſublatum, ſed ſi ad reſtitutionem tenentur illi, qui acceperunt, & illi, qui qualitercunque cooperarunt conſilio, fauore, conſenſu, & alijs medis infra dicendis, augetur ex hoc res illius, cui fuit aliquid ſublatum: ergo meliùs erit dicendum, quòd qui non accepit, non teneatur ad reſtituendum.

Tertiò. Nullus tenetur crimen ſuum detegere, ſed qui reſtitutionem facit, crimen ſuum detegit, vt patet in furto, & in alijs criminibus contra proximum: ergo non tenetur reſtituere, qui nihil accepit.

3 His non obſtantibus, concluſio eſt. *Tenetur non ſolùm is, qui accepit, vel damnum alteri intulit, ad reſtitutionem,*

ſed

ſed etiam, is qui conſilio, & opere, auxilio, & ſimilibus, cauſa fuit iniurioſæ acceptionis.

Probatur concluſio. Primò auctoritate Diui Pauli ad Rom c. 1. vbi ait: *Digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt ad faciendum*, & ex illa regula generali, *Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur*, vt in c. fin. de iniurijs, in c. ſuſcepimus, in c. de cætero, de homicidio, in l. nihil intereſt, ff. de ſicarijs. Tùm etiam, quia communiter, & paſsim obſeruatur, quòd eadem pœna puniri debent agentes, & conſentientes, vt in c. ſicut dignum, §. qui verò, cum gloſſa, de homicidio, c. nuper, cum gloſſ. de ſententia excommunicationis, text. in l. 1. §. perſuadere, ff. de ſeruo corrup. Tùm, quia alia regula iuris eſt, quę dictat, quòd qui dedit auxilium, vel opem, delinquendi, & cauſa fuit propinqua maleficij, quòd puniatur eadem pœna, patet ex proximis iuribus allegatis, & ex tex. in c. fœlicis, cum gloſſ. de pœnis in 6. in l. vnica, C. de rap. virg. & de iure Regio, text. in l. 10. tit. 8. Par. 6. & tenent communiter Doctores, Sanct. Thom. 2. 2. q. 62. artic. 7. Medina de reſtit. quæſtione 7. & 8. Sot. de iuſt. & iur. lib 4. q 7. art. 3. Aragon. Bañez, Caietan. d. q. 62. art. 7. Abb. Panormitanus, & Dec. c. 1. de officio deleg. cũ alijs.

4 Sed vt clariùs hic articulus intelligatur, qui difficillimus, & valde neceſſarius eſt inter materias reſtitutionis, propter multitudinem rerum, quæ in eo continentur. Supponimus primò, quod qui proximos lædunt, ſunt in duplici differentia. Alij ſunt principales, vt prima cauſa dãni, ſicuti fur, homicida, & ſimiles, & de iſtis non loquimur in præſenti. Alij autem ſunt ſecundarij, vt cooperantes, & complices, vt qui iuuant ad maleficium, conſulunt, comitantur, occultãt, &c. & propter hoc S. Tho. 2. 2. q. 62. artic. 6. ait, quòd obligatio reſtitutionis ex duplici radice

 oritur,

Digitized by Google

oritur, ratione ſcilicet rei alienæ, quam quis accepit, & ratione iniurioſæ actionis. Quicumque ergo cauſa fuerit dictæ iniurioſæ actionis, ad reſtitutionem etiam tenentur,

5 Supponimus ſecundò, quòd noſtra quæſtio, non eſt in præſenti, an iſti ſocij, & complices criminum teneantur reſtituere alienum, quod commodatum, vel depoſitum acceperunt, vel quauis alia de cauſa ad eos peruenerit, cùm certiſsimum ſit ſemper alienum reſtituendum eſſe. Sed quæſtio noſtra eſt, an cooperantes in aliqua iniurioſa actione, ſi ſolùm ratione dictæ iniurioſæ actionis, vel acceptionis, etiam quòd nihil remaneat apud eos rei acceptæ, teneantur ad reſtituendum. Et reſpondent ad hoc vnanimiter Doctores, quòd quicumque eſt cauſa efficax iniuſtæ acceptionis, tenetur ad reſtituendum, & hoc nomen iniuſtæ acceptionis ſumitur hic, & extenditur ad omnem iniurioſam acceptionem, ſiue verè accipiendo, ſiue damnificando, vt qui furatur, comburit, detrahit, conuiciatur, lædit, in bonis communibus conſequendis, & in ſimilibus.

6 Et ne vageris ad inquirendum, quot modis hoc contingere poſsit, vt quis ratione iniurioſæ acceptionis teneatur ad reſtituendum, S. Thom. nouem modos conſtituit, qui his carminibus continentur.

Iuſsio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus.
Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.

In quibus nouẽ modis recẽſentur, & ad hos reducuntur omnes illi, qui cooperantur in aliqua iniurioſa acceptione, & ſi computetur inter prædictos modos principalis perſona, quæ ipſam iniurioſam actionem committit ſubnectuntur decem genera perſonarum, quæ tenentur

ad

ad reſtitutionem ratione iniurioſæ acceptionis; quarum ſeptem priores directè & poſitiuè concurrunt, tres verò poſteriores indirectè, & priuatiuè ſe habent ad cauſandam ipſam iniuſtam acceptionem.

7 Inchoando igitur ab Executore principali, qui his carminibus non continetur. Dico, quòd Executor ipſe iniurioſæ acceptionis, hoc eſt ille, qui eam exercet per ſe ipſum, vt qui furatur, qui occidit, qui detrahit, &c. ſiue hoc faciat ex motu proprio, ſiue ex præcepto alterius, ſiue pro proprio, ſiue pro alieno lucro, quomodocũq; fuerit, tenetur ſemper ad reſtituendum, quia eſt vera cauſa proxima efficax iniurioſæ actionis. Viſo de Executore maleficij, videndum eſt modò de ſingulis cooperantibus eo ordine, prout illis carminibus continentur.

8 Occurrit primò *Iuſsio*, hoc eſt præcipiens, vel animans ad aliquod malum perpetrandum in quo nulla eſt dubitatio, quòd teneatur ad reſtituendum: nam eſt cauſa pręcipua, quæ potiſsimùm mouet ad inferendum malum, vt ſi quis dicat ſeruo, amico, famulo: volo, vt occidas, vel gratum mihi erit, ſi inimicus meus occidatur, & ſequitur occiſio, vt principalis reputatur Iubens, & propter hoc tenetur ad reſtitutionem. Secundus modus, eſt *Conſilium*, hoc eſt dans conſilium alicui efficax ad efficiendam rem iniurioſam, vt furtum & homicidium, cauſa eſt hæc directè mouens, ſuo conſilio ad illud malum, & propter hoc ad reſtitutionem tenetur. Tertius modus eſt *Conſenſus*, hoc eſt ille, qui conſenſu ſuo cauſat, vel concauſat actionem iniurioſam. V. g. ſi conſilio miniſtrorum Princeps non conferat beneficium digniori, vel ſi eorum conſilio, intentatur aliquod bellum iniuſtum, verè cauſa ſunt damni, nam animus Principis conſilio eorum mouetur, confirmatur, inflammatur ad illud faciendum, vt infra

clarius,

Digitized by Google

clariùs hoc oſtendetur. Quartus modus eſt *Palpo*, id eſt adulator, ſeu laudator criminis, qui cùm laudat maleficium, aut ſcelus perpetrandum, commendat illud, & eſt hoc inſtar conſilij, nam proponit Adulator laudem, gloriam, decus, ignominiæ abſterſionem, quam ex maleficio conſequentur, & propter hoc ad reſtitutionem tenetur. Quintus modus eſt *Recurſus*, id eſt, receptator iniuſti malefactoris, & clarum eſt, cùm ipſe cooperetur in maleficio, teneri ad reſtitutionē. Sextus caſus eſt *Participans* criminis, ſiue vt Socius, ſiue vt Mediator, ſiue vt Explorator, quomodocumque fuerit, ad reſtitutionem tenetur.

9 Viſum eſt in ſupradictis ſex modis, de illis, qui ad maleficium perpetrandum concurrunt Directè, & Poſitiuè: videndum modò eſt de alijs tribus modis, in quibus aliquis poteſt eſſe cauſa Indirectè, & Negatiuè, vt qui impedire tenetur, & nō impedit, quod quadrupliciter contingere poteſt. Primò tacendo, quando debebat præcipere, vel conſulere, ne illud malum fieret. Secundò ſi ſuffragium fert conſentiens, cùm diſſentire tenebatur. Tertiò ſi, cùm poſsit, & debet obſtare, non obſtauit. Quartò, cùm debet manifeſtare, & non manifeſtat, vt *Mutus*, *Non obſtans*, *&* *Non manifeſtans*. Septimus modus in ſupradictis carminibus eſt *Mutus*: mutus dicitur, qui poteſt & tenetur loqui, clamare, conſulere, reprehendere, præcipere, & tamen tacet, iſte dicitur cauſa indirectè, & priuatiuè damni, & ſicut Naucleri dormientes ſunt cauſa ſubmerſionis nauis: ita & miniſter mutus, eſt cauſa ſceleris perpetrati. Dixi, tenentur, ad oſtendendum, quòd de illis, qui ex officio ad id non tenentur, neque ſunt deputati, aliter infra dicendum erit. Octauus modus eſt; *Non obſtans*, hoc eſt non præbens auxilium ad impediendum

male-

maleficium, tenetur clarè ad reſtitutionem, nam tenebatur ex officio, vt perſona publica, & ex ſtipendio ſuſcepto prohibere mala euitanda, vt ſunt Principes, magiſtratus, iudices, & ſimiles cuſtodes iuſtitiæ. Nonus modus eſt *Nō manifeſtans*, qui cū ex officio teneatur manifeſtare ad euitandum maleficium perpetrandum, tenetur ad reſtitutionem. Aduertendum tamen: quòd omnes ſupradicti modi intelliguntur, quando hæc duo concurrunt: cùm delictum perpetratum fuerit cauſa totius damni, & non alicuius partis maleficij, nam tunc tenetur tantùm reſtituere pro ſua parte, vt ſi tranſeuntes diuerſis diebus per vineam ſubtraxerunt racemos, & tamen à multis vinea ſpoliata fuit, omnes tenentur reſtituere pro ſua parte delicti, vt in l. vulgus, ff. de furtis.

10 Ex dictis aliquæ oriuntur difficultates. Et prima eſt, an teneantur maleficium vitare, vt furtum, homicidium, & reliqua mala, etiam illi, ad quos id ex officio non ſpectat. Ad quam difficultatem reſpondetur, quòd licèt aliqui dicant, quòd non præſtantes auxilium in neceſsitatibus vrgentibus, etiam quòd ad id ex officio non teneantur, tenentur quoque ad reſtituendum, & fundantur ex text. in c. ſicut dignum, §. illi etiam, de homicidio, in c. quando, de ſentent. excommun. in c. qui cum fure, de furtis, in quibus dicitur, quòd, quicunque poteſt manifeſto facinori obuiare, & non obuiat, fauere cenſetur delinquentibus. Contraria tamen ſententia verior reputatur, quòd ſolùm tenentur maleficia vitare illi, qui ex officio ad id deputati ſunt ſub pœna peccati mortalis, & reſtitutionis, & de illis intelliguntur, & loquuntur iura pro contraria opinione adducta. Reliqui verò ſolùm tenentur in

vrgentibus neceſsitatibus adiuuare proximos ex charitate, & propter hoc, ſi omittunt id facere, mortaliter peccant; non autem tenentur ad reſtitutionem damni ſubſequuti, nam non peccant contra iuſtitiam, quia ad id ex iuſtitia non tenebantur. Et eodem modo erit dicendum de eo, qui non dedit eleemoſynam pauperi extremè indigenti, quia mortaliter peccauit, nam ex charitate ad id tenebatur, ſed ſi moritur, vel aliqua ſequantur mala, ad nullam reſtitutionem tenetur: ita Sāct. Thom. loco ſupra citato, Aragonius, d.q 62. art. 7. Silueſter, vt ſupra cum alijs.

11 Secunda difficultas eſt, an quando aliqui concurrunt, vel cooperantur ad aliquam iniuſtam acceptionem, ſi ſinguli teneantur in ſolidum reſtituere, quidquid iniuſtè acceperunt. Ad cuius explicationem dico, certum eſſe, ſi plures ſimul concurrunt ad vnam, & eandem iniquam acceptionem, ita vt quilibet indifferenter ſit cauſa totius damni ſubſequuti, quilibet eorum tenetur inſolidum ad compenſationem, & reſtitutionem damni. V.g. ſi plures ex æquo concurrunt ad homicidium, furtum, & ſimilia: & ratio eſt, quia quilibet eorum eſt cauſa, ſeu concauſa totius damni, quamuis non ſolus, & qui cum alio effectum facit, verè ipſe facit, vt in l. ita vulneratus, ff. ad leg. Aquileam.

12 Tertia difficultas eſt, an ſinguli conſiliarij præſtantes in Senatu ſuffragium cum iniuria alterius, teneantur in ſolidum ad reſtituendum damnum ſubſequutum. Ad quam difficultatem, quæ præcipua eſt in iuſtitia diſtributiua, dico, quòd conſiliarij præſtantes in Senatu ſuffragium pro aliquo, cum iniuria alterius, tenentur ſinguli, & inſolidum reſtituere damnum ſubſequu-

Digitized by Google

ſequutum: & ratio eſt, quia omnes in vim vnius indiuiſibiliter totum damnum intulerunt. V. g. ſi proponatur ad aliquod officium, vel beneficium, aliquibus rationibus impertinentibus, & ad rem non facientibus, dignus, derelicto digniori, omnes tenentur in iſto caſu ad reſtitutionem, patet ex iuribus citatis, numer. 3. & ex text. in c. nuper, de ſententia excommunicationis, in c ſicut dignum, de homicidio volunt. vbi Alexand. 3. ait. *Contra miniſtrum conſentientem in maleficio, qui ſuis iniquis ſuggeſtionibus præbuit auxilium* Regi, *vt occideret ſanctum Epiſcopum Cantuarienſem: ita ſeuera pœna eſt puniendus, ſicut & ille qui occidit.* Nec obſtat, ſi dicatur, quòd frequenter contingit, quòd maior pars conſiliariorum præſtat iniquum ſuffragium, & quòd alij deinde videntes damnum irreparabile, concurrant ad id pro bono pacis, & ne ſocios offendant, tunc non ex vi illorum, qui vltimo loco ſuffragium dederunt, damnum confertur, nam iam illatum erat à maiori parte priorum: ergo ſaltim iſti non tenentur ad reſtitutionem. Nam ad hoc etiam reſpondetur, quòd licèt non omnes ſimul dederunt ſuffragium iniquum, ſed ſucceſsiuè vnus poſt alium: quia tamen omnes verè concurrunt, & influunt ad illud malum, nam executio ſententiæ, ſeu ſcriptum ad Principem æqualiter fuit firmatum, & rubricatum: & cùm Princeps executor æqualiter moueatur ad definiendum ex vi omnium votorum, qui ſubſcripſerunt, vel rubricarunt tale ſcriptum, ac perinde ille ordo præſtandi ſuffragia per accidens reputatur: propter hoc omnes æqualiter ad reſtitutionem tenentur, vt ait Romanus Pontifex in c. 1. de ijs, quæ fiunt à maiori parte Capituli, vbi inquit, quòd exiſtens in

Digitized by Google

Capitulo. *Niſi contradicat malè actis, habetur pro conſentiente.* Et firmo tandem in hoc, quòd conſiliarij, qui vltimo loco ſuffragium iniquum dederunt, & ſeruarunt illud, ad quod tenebantur, ſcilicet non muteſcere, obſtare, manifeſtare, & contradicere verbis, & in ſcriptis, prout ſciunt, quòd faciendum erat, & ad id tenebantur: ad nihil tenentur, quia ab eis factum eſt totum id, quod à viris bonæ conſcientiæ faciendum erat.

13 Quarta difficultas eſt, an cùm vero domino plures teneantur reſtituere in ſolidum, ſi remiſerit vni illorum debitum, remanent reliqui obligati ad reſtituendum. Ad quam difficultatem dico primò. Læſus, cui facienda erat reſtitutio, poterit dimittere vni debitum, & actionem, quam habebat contra illum, remanentibus reliquis obligatis ad ſoluendum: & ratio eſt, quia omnia iura concedunt liberam facultatem creditoribus exigendi ab eo, à quo voluerint, alijs dimiſsis. Verùm tenetur creditor læſus alijs remanentibus à ſolutione debiti detrahere illam partem, quam alteri remiſit: nam non poteſt remittere alicui creditorum, cum præiudicio aliorum. Dico ſecundò, quòd ſi verus dominus, cui plures tenentur reſtituere in ſolidum, remittat debitum debitori principali, qui primo loco tenebatur, manent omnes liberi à ſolutione, & ratio eſt, quia hæc remiſsio eſt inſtar ſolutionis, & ſoluente eo, qui primo loco tenebatur, cæteri manent etiam liberi, & eſt communis opinio Doctorum: ita Medina lib. 4. q. 7. art. 3. in fine de reſtitutione, q. 8. dub. 3.

14 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum, nam reſpondetur, quòd licèt quis nihil acceperit, tenetur tamē ad reſtituendum tanquam operans, vel cooperans in iniuſta acceptione, & dāno illato,

Digitized by Google

vt declaratum eſt, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecūdum, nam reſpondetur, quòd verum eſt, quòd lex reſtitutionis non exigit, vt plus refundatur læſo in reſtitutione, quàm ab eo fuerit ſublatum, & propter hoc ſi repetit ab vno, quod ei ſublatum fuerat, non poteſt ab alijs amplius exigere, vt in præcedenti nu. 14. declaratum eſt, & ſoluitur ſecundum argumentum.

Non obſtat tertium, nam reſpondetur, quòd licèt homo non teneatur crimen ſuum manifeſtare hominibus, tenetur tamen detegere Deo in confeſsione, & ita per ſacerdotem, cui confitetur, poterit reſtituere alienum & ſoluitur argumentum, articulus, & diſputatio 4.

DE OPINIONIBVS SEQVENDIS IN quacunque re.

DISPVTATIO vltima.

IN TRES ARTICVLOS diuiſa.

In hac diſputatione agitur de opinionibus ſequendis in quacunque re, nam plures ſunt actiones humanæ, quæ legibus non determinantur, nec ipſæ leges poſſunt ita clarè & perſpicuè inſtitui, nec diligentia humana valet ad hoc, quin frequẽter occaſio non præbeatur tergiuerſationis, & opinionum, ex quibus fraudes, lites, & remorſus conſcientiæ, oriri ſolent.

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli, nu. 1.
Proponuntur tria argumenta, nu. 2.
Quatuor breuiter annotantur, nu. 3.
Diuiſiones diuerſæ opinionum conſtituuntur, nu. 4.

Septem

Digitized by Google

Septem poſſunt eſſe cauſæ facientes vnam opinionem probabiliorem altera, oſtenditur, nu. 5.
Opiniones poſſunt eſſe circa diuerſas res magni momenti, & parui momenti, oſtenditur, nu. 6.
Conſtituitur concluſio in rebus grauibus, & vbi agitur contra iuſtitiam; ſequenda non eſt opinio probabilis: & probatur, nu. 7.
Fulcitur concluſio, nu. 8.
Satisfit argumentis propoſitis, nu. 9.

ARTICVLVS. I.

1 *Vtrùm liceat ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori.*

2 PRo parte affirmatiua argumentor ſic. Opinio, quæ magis ſuauis, & humanior eſt, præferri debet, vt in l benignius, ff. de legibus, in l. ſemper in dubijs, ff. de regulis iuris, in c. fin. de tranſact. ſed quæ iuſtificat magis actiones humanas, eſt opinio probabilis, quæ benignior, & ſuauior eſt: ergo non ſolum illa ſequenda eſt, ſed etiam præferenda erit opinioni probabiliori.

Secundò. Nemo tenetur ſeruare id, quod de conſilio melius & perfectius eſt, vt patet de voto caſtitatis, paupertatis, & ſimilibus, quæ perfectiora ſunt, ſed nemo obligatur, nec tenetur ad ea, nam poſſum eſſe diues, vel coniugatus: ergo nec tenetur aliquis ad opinionem probabiliorem ſequendam, ſed poterit ſequi probabilem opinionem.

Tertiò. Ariſtotel. 1. Ethicorum, c. 3. & 4. & 1. Topic. c. 1. aſſerit, probabilem opinionem eſſe illam, quæ optimis

mis rationibus confirmatur, & omnibus vera apparet: ergo abſque reprehenſione, & nota aliqua poſſumus nos confirmari prædictis viris peritis, & opinionem probabilem ſequi, relicta probabiliori.

3 Sed antequàm in re tam graui, & difficili concluſionem conſtituamus, aliqua ſupponenda ſunt, & in primis quatuor breuiter ſcienda erunt. Primò. *Opinio eſt aſſenſus, pro vna parte, cum formidine alterius*, vt communiter ſentiunt Philoſophi. Secundò generatur opinio, & conſtituitur argumẽtis euidentibus, & auctoritatibus ſapientum, & rationibus, quæ non concludunt omninò, ſed perſuadent. Tertiò, contrarietas opinionum antiquiſſima eſt, & quodammodo à natura cauſatur oppugnantia, & non ſolùm ex varijs hominum voluntatibus, nam quilibet amat ſuam ac propriam poſsidere opinionem. Tùm quia veritas maximè poſt primum peccatum abſcõdita eſt. Tùm quia intellectus humanus non ſemper poteſt aſſequi veritatem, ſed plura reſoluit probabiliori ratione, quæ multoties vnam partem ſuadet, & multoties aliam. Et præſertim cùm non omnia determinata ſint in iure ita perſpicuè, vt ex eis frequenter opiniones oppoſitæ non oriantur. Quartò demum ſciendum eſt, quòd hæc materia eſt adeò immenſa, & difficilis, vt ne confuſionem & obſcuritatem noſtra doctrina pareret, generales tantùm regulas, & principia communia, necnon aliquas difficultates neceſſarias, quæ ex doctrina generali emergunt, attingemus, reliquas ſtudioſis indagandas relinquimus.

4 Supponimus ſecundò, quòd diuiſiones opinionum, multipliciter eſſe poſſunt. Prima diuiſio. Opinio alia eſt probabilior, alia probabilis, & alia improbabilis. Probabilior dicitur illa, quæ meliora habet fundamenta,

atque

atque patrocinia grauiſsimorum auctorum, vel quæ melioribus rationibus innititur. Probabilis dicitur illa, quæ licèt nõ habeat fundamẽta meliora, tamẽ fundamẽta illius ſunt ſufficienti probabilitate inſtituta. Improbabilis opinio dicitur, quæ quamuis ab aliquibus ſuſtẽtatur, quia non innititur ſufficienti auctoritate, nec rationibus, quales plerumque eſſe ſolent, quæ ab aliquibus minùs doctis agitantur, quia improbabiles, & temerariæ eſſe ſolent, cõmuni conſenſu reijciuntur.

Secunda diuiſio. Opiniones aliæ ſunt tutiores, aliæ minùs tutæ, aliæ æquè probabiliores, vel tutiores. Opiniones tutiores dicuntur, non quia ſint probabiliores, ſed quia qui illas ſequuntur, non poſſunt errare. V.g. ſi fuerint duæ opiniones contrariæ, & vna dicit, quòd reſtitutio faciẽda eſt, digniori in beneficio prætermiſſo, & altera negat; tũc opinio aſſerens reſtitutionem eſſe faciendam, tutior nũcupatur, contraria, quæ negat eam faciendam eſſe: minùs tuta dicitur, quia in ea poterit eſſe annexum peccatum, niſi reſtituatur. Æquè probabiles, vel tutiores dicuntur illæ opiniones, quæ pro vtraque parte continent æquales rationes, & auctoritates, ita tenent Vazquez 1. 2. p. 2. diſp. 62. c. 1. Lorca 1. p. diſp. 39 cum alijs.

5 Supponimus tertiò, quòd ſeptem poſſunt eſſe cauſæ, facientes vnam opinionem probabiliorem alia, quarum quinque ſe habent ex parte Doctorum opinãtiũ, reliquæ duæ ex parte fundamentorum ipſius opinionis. Prima cauſa eſt, ſi Doctores vnius opinionis ſunt grauiores, & ſi ſunt, & fuerunt in alijs opinionibus veriores, & in talibus veriùs ſcripſerunt, & minùs errauerunt, nam ſimilia præſumuntur ex ſimilibus, vt in c. mandata, de præſumptionibus. Secunda cauſa, ſi Doctores vnius opinionis, plus inſudarunt ſtudio talium materiarum, quã Doctores

Digitized by Google

alterius opinionis, nam cæteris paribus, plus adhærendum eſt illis qui plus vacarunt ſtudio talium materiarum, & vnicuique in ſua facultate magis credendũ eſt, quàm illis, qui ſcribunt in aliena facultate. Tertia cauſa, ſi Doctores vnius opinionis ſunt, & præſumũtur minùs affectati, quã alij. Quarta cauſa, ſi Doctores vnius opinionis ſunt, & fuerunt melioris vitæ, nã ſanctitas, & puritas vitæ, meretur à Deo illuminationem, quia *initium ſapientiæ eſt timor Domini*. Quinta cauſa eſt, ſi ſunt plures Doctores vnius opinionis, quã alterius, nam magis adhærẽdũ eſt pluribus, & pro eis præſumitur veritas, vt tenet gl. in c. infamis 3. q. 7. in c. canonicis 19. diſt. in c. fin. 63. diſt. in c. puto 2. q. 7. Aduertendũ tamẽ eſt in hoc, ꝙ, non eſt conſideranda abſolutè multitudo ſequentium vnam opinionem, nam ſi alia minor fuerit, attamen grauior, illa ſequenda eſt. Et etiam attendendum eſt, cùm Doctores vnius opinionis ſunt antiquiores, nam temporis diuturnitas videtur auctoritatem attuliſſe, & ideo cæteris paribus, opiniones eorum præferuntur, niſi opiniones recentiorum nouas rationes & cauſas contineant, quia aliquando intellectus iuniorum eſt perſpicacior, vt in l. Gallus, ff. de legibus. Sexta cauſa eſt, cũ rationes vnius opinionis ſunt meliores, & magis vrgentes, quàm rationes alterius opinionis; nam ei, quæ meliori rationi innititur, ſtandum erit, vt in c. capellanus, de ferijs. Septima cauſa eſt, cùm auctoritates vnius opinionis magis clarè loquuntur, quàm auctoritates alterius opinionis: Ex ſupradictis cauſis cognoſcitur, quæ ſit, vel non ſit probabilior opinio, inter quas duæ vltimæ ſunt potiores, & in eis magis attendendum erit, quibus deficientibus, ad ſupradictas quinque conditiones recurrendum eſt; ita tenet Conradus de contractibus q. vltima, & Cordoua lib. 2. q. 3. cum alijs.

Sup-

Digitized by Google

6 Supponimus quartò, quòd de opinionibus poſſumus loqui multipliciter: Vno modo, prout ſunt ſpeculatiuę tantùm, & ſpeculatiuè agitur de eis, vt frequenter fit in ſcholis ad exercendum ingenium, dum ſuſtẽtatur, & defenditur in aliqua re opinio probabilis, relicta contraria probabiliori. Alio modo loqui poſſumus de opinionibus practicè, & in praxi, quãdo in particulari inquiritur hîc, & nũc de aliqua re, in qua contrariæ ſunt opiniones, & vna dicit, quòd id efficiendo, peccatum eſt, altera verò, quòd nõ eſt peccatum: in vna, quòd facienda eſt reſtitutio: in alia, quòd non eſt facienda. Tertiò de opinionib⁹ loqui poſſumus quando exercentur in rebus parui momenti, vt frequẽter eſſe ſolet in aliquibus virtutibus moralibus, ſcilicet in prudẽtia, fortitudine, & tẽperãtia. Alio modo denique poſſumus de eis loqui, quãdo agitur in reb⁹ grauib⁹, vt ſunt quæ ad fidẽ, bonos mores, & cõtra iuſtitiã, & in damnũ, & detrimentum proximi exercentur.

Ex quo colligitur, ꝙ ſi agatur de opinionib⁹ tãtũ ſpeculatiuè, prout in ſcholis, ad exercẽdũ ingeniũ, vel in reb⁹ parui mo mẽti, & nõ cõtra dãnũ tertij, tũc permiſſũ erit, ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori: ſi verò agatur de eis practicè, & in praxi in re graui, cõtra iuſtitiã proximi, nullo pacto licitũ erit, vt ſequẽti cõcluſione patebit.

7 Sit ergo cõcluſio. *In rebus grauibus, & vbi agitur cõtra iuſtitiã tertij, nullo pacto licitum erit ſequi opinionẽ probabilẽ, relicta probabiliori, ſed ipſa probabilior ſequenda eſt.*

Probatur cõcluſio multipliciter. Primò, quia, qui ex duabus opinionibus ſequitur opinionẽ minùs probabilẽ, relicta probabiliori, exponit ſe periculo errãdi, & nocẽdi proximo: ergo illã ſequi licitũ nõ eſt. Tũ ſecũdò, quia in c. iuuenis, de ſpõſ. reg. eſt iur. ꝙ *in dubijs tutior pars eligẽda eſt,* 2 ſed quãdo opiniones ſunt diuerſæ, probabilior erit tutior,

 & pro-

& probabilis minùs tuta: tunc ergo probabilior ſequenda eſt. Tum, tertiò, quia ideo dicitur probabilis opinio, quia rationabilior eſt, & quia validioribus nititur ſanctionibus, ac fundamentis, quibus naturaliter conuincitur intellectus: ergo probabilior opinio ſequenda eſt. Tum quartò, quia homo tenetur, in quantum poteſt, accedere ad verā opinionē, & eā ſequi, ſed ſequēdo opinionē probabiliorē, magis ad verā ſentētiā accedit, quę nullum habet annexū dubiū, ſicut habet opinio probabilis: ergo talis opinio probabilis ſequenda non eſt. Tum quintò, quia non prudenter faceret, qui in re magni momenti, vbi timetur graue damnum, & detrimentum contra proximum, ſequeretur incertā viam, cùm poſſet habere certam, vt patet exemplo medici, iudicis, & miniſtri baptiſmi, & in alijs rebus, nam ſi contingat errare in talibus, & ſimilibus, ſicut fieri poteſt, non poterit excuſari, quaſi ex ignorantia inuincibili errauerit, qui opinionem probabilem ſequutus fuit, relicta probabiliori. Tum denique, quia, ſi daretur hominib⁹, quòd poſſent ſequi opiniones probabiles, relictis probabilioribus, daretur eis, qui ſunt proni ad malum, & ad laxiora, maxima licentia, & morum corruptio, nam quilibet in omni negotio reperiret opiniones probabiles, quibus ſe tueretur ad faciendum, quod voluerit, & iudex ad ferendum in iudicio ſententiam pro amico contra inimicum, & medicus ad experiendum cum ſalute aliena, vt infrà patebit. Et certè fateor me nunquam ſcrupuloſum fuiſſe, ſed tamen vbi agitur de rebus grauibus, & de nocumento proximi, ſemper ingenium illorum hominum dānaui, qui in his laxioribus opinionibus conſcientiæ habenas latè ſolent explicare.

2 Fulcitur etiam ſupradicta concluſio auctoritate plurimorum iurium; text. in c. iuuenis, de ſponſ. in c. ad audien

tiam

tiam, in c. ſignificaſti, 2. de homicidio, in c. capellanus de ferijs, vbi habetur, eam opinionem eſſe ſequendam, quæ maiori & ſubtiliori ratione innititur. Tenent eam ferè cõmuniter Doctores, Sotus de iuſt. & iur. lib. 3. q. 6. art. 5. ad quartum, & in 4. diſt in. 18. quæſt. 2. art. 5. ad quintum. Cõradus de contractibus, quæſt. vltima. Syluester, verbo *Opinio*, §. 2. gloſ. in c. fin. de pœnit. diſt in. 1. text. cum gloſ. in c. vnico, de poſt. prælat. in 6. Corduba lib. 2. q. 3. & lib. 3. q. 5. S. Thom. quodlibet. 8. art. 14. Adrianus quodlibet. 2. par. 3. Nauarrus in c. ſi quis autem, de pœnit. n. 53. Bart. in l. 1. ff. de officio quæſt. & in l. 1. ff. de Senat. Tiberius Decianus conſil. 31. n. 1. Abb. in c. 1. de conſtit. & ferè reliqui Doctores in l. 1. ff. ſi certum petatur.

9 Non obſtãt modò in contrarium adducta argumenta. Nõ primũ deſumptũ ex pluribus iuribus, nã reſpondetur quòd argumentum loquitur, & procedit in foro iudiciali, & exteriori, & quoad perſonam iudicis, qui debet potiùs inclinare ad æquitatem, quàm ad rigorem iuris: nos autem loquimur in præſenti, in foro interiori conſcientiæ, & quoad ipſum pœnitentem, nam opinio ipſius, quæ eſt humanior, non erit præferenda probabiliori, & tutiori opinioni, nã eſt laxior, & minùs tuta, & cum periculo peccati, vt declaratum eſt, & ſoluitur primum.

Non obſtat ſecundum, nam reſpondetur, quòd verum eſt, quòd in rebus illis, quæ ſunt de conſilio, non tenemur ſeruare id, quod melius eſt, & melius eſt eſſe religioſum, quàm cõiugatũ, & paupertatem ſequi, quàm diuitias; ſed ſecus eſt in his, quæ ſunt de præcepto naturali, prout eſt in noſtro caſu, nã ratio naturalis obligat nos ad tenẽdũ, & ſequẽdũ probabiliorẽ cognitã opinionem, & præſertim in praxi, & quoties agitur de rebus magni momẽti, vel de dãno tertij cõtra iuſtitiã, prout ſuprà n. 6. dictũ fuit, & ſoluitur ſecundum.

Non obſtat tertium deſumptum ex Ariſt. auctoritate; nam negamus minorem, quia ſine reprehenſione, & nota, opinionem probabilem ſequi non poſſumus, exiſtente opinione probabiliori, pręſertim, vbi agitur de damno tertij, de rebus fidei, & contra bonos mores, vt declaratũ eſt, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli, n. 1.

Proponuntur tria argumenta, n. 2.

Conſtituitur concluſio, ſcilicet: in opinionibus æquè probabilibus, vbi minùs malum timetur, & quæ tutior erit, ſequenda eſt, oſtenditur, n. 3.

Tres regulæ conſtituuntur ad cognoſcendum, quæ ſit pars tutior, n. 4.

In opinionibus, æquè tutis, vel æquè probabilibus, ſeu æquè probabilioribus datur locus gratificationi, n. 5.

Si duæ opiniones contrarię ſunt, & vna eſt tutior, & alia probabilior, vtramque ſequi poſſumus, n. 6.

Satisfit argumentis propoſitis, n. 7.

ARTICVLVS II.

1 *Vtrùm in opinionibus æquè probabilibus ſemper vbi minus malum timetur, & quæ tutior eſt, ſit ſequenda.*

2 PRo parte negatiua argumentor ſic. In c. dominus, de ſecũdis nuptijs, in c. inquiſitioni, de ſent. excõm. Romanus Põtifex determinat, quòd quoties cõiux dubitat de vita prioris coniugis, poſtquam ſecundum cõ-

traxit

traxit matrimonium, licèt non poſsit petere debitũ, tenetur tamẽ reddere, ſed tunc eligitur pars minùs tuta, quia reddẽdo poterit eſſe periculũ adulterij, & non reddẽdo, nullum periculũ verſatur: ergo licet in opinionibus æquè probabilibus, partem minùs tutam eligere.

Secundò. *In dubijs melior eſt conditio poſsidentis*, vt in regula in dubijs, in c. ſi virgo, 34 q. 1. vt ſi aliquo, aliquam rem poſſidente ſuboriatur dubium, an iuſtè poſſideret talem rem, facta inquiſitione, non tenetur nec compellitur deponere, vt in ſupradictis iuribus, ſed tũc tutius erat reſtituere: ergo in dubijs tutior pars ſequenda non eſt.

Tertiò. In dubijs, ſi tutior pars ſequenda eſſet, hoc non ſolũ ſeruaretur in foro interiori, ſed etiã in foro iudiciali, & exteriori; ſed in foro exteriori nõ ſeruatur, vt patet in c. is, qui, de ſentẽt. excõm. lib. 6. & in reg. odia, de regul. iur. lib. 6, ſed determinatur in d. c. neminẽ cenſeri irregularẽ, niſi in iure ſit expreſſa irregularitas, quod eſt minùs tutũ: ergo tutiorem opinionem ſequi non tenemur.

3 His, & alijs non obſtantibus concluſio eſt. *Quoties in aliqua re duæ ſunt opiniones diſcordes, & æquę, ea in qua minus malũ timetur, & tutior erit, ſequenda eſt.*

Probatur cõcluſio multipliciter. Primò, ratione illa vniuerſali, quòd in dubijs tutior pars eſt eligẽda, vt in c. iuuenis, de ſpõſalib. Secũdò, quia, qui ſe exponit periculo peccandi, peccat, & *qui amat periculũ peribit in illo*, Eccl. c. 3. ſed qui eligit partẽ minùs tutã in dubijs opinionibus, exponit ſe periculo peccãdi: ergo peccat. Tertiò. In c. inquiſitioni, de ſententia excommun. habetur, quòd ſi mulier dubitat de conſanguinitate viri, non poteſt petere debitũ: vt in d. c. dominus, de ſecundis nuptijs: ſimiliter ſi dubitat de vita prioris viri, non poteſt petere debitũ, ne exponat ſe periculo adulterij: ergo ſimiliter in opinionibus, dubijs.

dubijs dicendum erit, ne exponantur fideles periculo peccandi.

Fulcitur hoc auctoritate plurimorum iurium; tenet tex. in c. iuuenis, de ſponſ. in c. 2. de pœnit. diſtinct. 1. in c. ad audientiam, de homicidio, in c. ſicut, 14. diſtinct. in c. grauis 11. q 3. in c. illud, de cleric. excom. miniſt. cum alijs. Tenent hoc communiter Doctores, S. Tom. quodlib. 8. quæſt. 14. Adrian. quodlib. 2. Couar. in clem. ſi furioſus, in princ. num. 3. Corduba lib 2. quæſt. 3. Caiet. in ſumma verbo opinio, Henric. lib 4. quæſt. 3. Lorca de actibus humanis, diſputatione 38. memb. 2 cum ſequentibus, Vazquez diſputatione 65. c. 1. & ſequentibus, Abbas Panormit. in d. c. iuuenis, cum alijs.

4 Sed iſte articulus generaliter intelligendus eſt, non ſolùm de dubio iuris, vt ſi dubitatur, an talis actus ſit aliqua lege prohibitus; ſed etiam intelligitur de dubio facti vt ſi dubitatur an fundus, an vxor ſit iſtius viri, ſeu de aliqua alia circunſtantia, vel conditione, de qua dubitari ſolet circa factum. Difficultas autem eſt, & valde ardua vt explicetur in omni euētu, quæ ſit pars tutior. Et in hoc ex communi doctrina Doctorum, tres regulæ conſtituūtur, quibus pars tutior decerni poſsit.

Prima erit, ſi ex vna parte opinionum imminet periculum, vel maius malum, ſeu peccatum & ex alia non: tunc eligendum eſt, quod certum erit, vel vbi minus peccatum imminet vt in d. c. ad audientiam, in c. ſignificaſti, de homicidio. V. g. dubitat quis, ſi teneatur ieiunare, ſi teneatur talem rem reſtituere, ſi talis contractus ſit vſurarius; qui ieiunat, qui reſtituit, qui abſtinet ſe à tali contractu, partem tutiorem eligit; qui contrariam opinionem ſequitur, minùs tutam opinionem amplectitur.

Se-

Secunda regula erit, quòd quando in vtraque opinione timetur de peccato, & in vna erit tantum veniale, vel minùs graue, in alia erit mortale, & grauius: eligenda eſt (ſi neutra vitari poteſt) illa opinio, in qua minus peccatum eſt, & minus malum timetur, vt in c. neruì, in c. duo mala, 13. diſtin. V.g. ſi mentior ad ſaluandam vitã hominis, pecco venialiter, ſi non mentior, pecco mortaliter peccato homicidij: eligendũ erit, quod eſt minus malum in tali caſu.

Tertia regula. Si æquale periculum timetur in vtraque opinione, & neutram euitare poſſumus, tũc liberum erit cuique ſequi, quam maluerit. V.g. ſi teneatur quis defendere innocentem, vel occidere inuaſorem, vtraque opinio eſt cũ periculo mortis, poterit eligere, quã maluerit, vel defendere innocentem occidendo inuaſorem, vel nõ defendere illum: ita Medina, & alij ſuprà citati.

5 Aduertendum etiam eſt, quòd quoties de aliqua re ſunt æquales opiniones, & æquè probabiles, vel æquè probabiliores, ſeu tutiores, & cognoſci non poteſt, quæ earum ſit probabilior, vel tutior, ſeu fauorabilior, tunc datur eſt locus gratificationi, & poterit quis ſequi, quàm maluerit; & ratio eſt, quia cũ vtraq; opinio ſit æquè probabilis, vel probabilior, & tutior, non eſt aliqua ratio, quare potiùs vnam, quàm aliam ſequamur: ita Corduba, Cõradus, Syluester, & alij locis citatis.

6 Difficultas eſt modò, & grauiſsima, videlicet, ſi duę opiniones oppoſitę fuerint in eadẽ re, & vna eſt probabilior, & alia tutior. V.g. ſi probabilior opinio tenet, mutuãtẽ poſſe recipere vltra ſortẽ principalẽ, aliquid ratione intereſſe lucri ceſsãtis, vel dãni emergẽtis: & cõtraria opinio tenet oppoſitum, quæ opinio ſequenda erit in iſto caſu, vel probabilior, vel tutior. Ad hanc difficultatem dico breuiter

quòd licèt Caietanus in opuſculo,& in ſumma,& alij plures defendant fortiter,quòd tenemur opinionem tutiorē ſequi, quod veriſsimum eſt, poſſumus tamen (quod ipſe Caietanus negat) probabiliorem opinionem ſectari; quod patet ſubſequentibus rationibus. Primò quia, ſi vna opinio eſt probabilior alia, tenemur eam ſequi, vt patet ex dictis in præcedenti articulo:ergo idem faciēdum erit in præſenti. Secundò, quia in dubijs,quod certius eſt ſequi debemus, vt in c.iuuenis, de ſponſalibus, ſed certius æſtimamus id, quod probabilius eſt: ergo illud tenendum erit. Tertiò, quia exceſſus illius opinionis tutioris compenſatur cum exceſſu alterius opinionis probabilioris. Tum denique,quia ſi probabiliorem opinionem in iſto caſu ſequi non poſſumus, eſſet hoc contra vſum ſapientum, & Sanctorum Patrum Hieronymi, Auguſtini,D.Thom.Bonauenturæ,& aliorū Scholaſticorum,qui in rebus fidei,&morum,probabiliores opiniones ſectati ſunt,etiam,quòd contrariæ eſſent tutiores: ergo id facere licèt;vt tenent Corduba,vt ſuprà,& Conradus de contractibus,q.fin Syluester verbo *Opinio*. Paludanus in 4.diſt.21.q.2.art.3.Salas in 1.2.tom.1.tractatu 8. diſp.vnica,ſection.5.cum alijs citatis.

7 Non obſtant modò in contrarium adducta argumēta. Non primū deſumptū ex c.dominus,de ſecundis nuptijs: & ex c.inquiſitioni,de ſententia excōm. nam reſpōdetur, quòd verum eſt, quòd quoties dubitatur de impedimēto matrimonij,tenetur,qui dubitat,reddere debitum coniugale,ſed non poteſt petere,& tunc pars tutior eligitur.Ratio quare in dubio licitum ſit reddere, eſt, quia in dubio ius poſsidentis bona fide præfertur,& quia qui petit bona fide,& poſsidet, ne iure poſſeſsionis fraudetur,reddendū eſt,& omne tunc periculū ceſſat, ſeruetur poſsidentis ius, quod

Digitized by Google

quod colligitur ex c. inquiſitioni, vt tenet Lorca in 1.2. de actibus humanis, diſp. 38. mēb. 4. & ſoluitur primum.

Non obſtat ſecūdùm deſumptum ex regula in dubijs, & ex c. ſi virgo 34. q. 1. nam reſpondetur, quòd licèt diuerſimodè dicant circa hoc Doctores; dico tamen breuiter, quòd in dictis iuribus, ideò non reſtituitur, quia facta fuit diligentia, & non conſtauit rem eſſe alienam, ceſſabit dubitatio, & ex poſſeſsione, quam habet, cenſetur poſſeſſor legitimè poſsidere, & ſic reſtituere, & non tenetur, & ſoluitur ſecundum.

Nō obſtat tertiū deſumptū ex c. eos qui, de ſent. excōmun. lib. 6. cū alijs, nam reſpōdetur, quòd nō valet cōparatio in iſto caſu de foro iudiciali, & conſciētiæ; nam forum iudiciale, & iura, cùm intendāt oſtēdere, quòd leges non ſint graues, nec odioſæ, præcipiunt, quoties agitur de re odioſa pœnali, ſeu fauorabili, quòd præferatur ſemper benignior pars, & quod odia reſtringātur, & propter hoc Romanus Pontifex declarat, quòd tantum in caſibus à iure expreſsis irregularitas non incurritur, quia eſt odiū, & pœna, ſecus autem eſt in foro conſcientię, vt declaratum eſt, & ſoluitur argumentum, & articulus.

SVMMARIVM.

PRoponitur quæſitum articuli, nu. 1.

Proponuntur duo argumenta, nu. 2.

Cōſtituitur concluſio, quòd iudex tenetur ſecundū opinionē cōmuniorē, & probabiliorē iudicare, & probatur, n. 3.

Quando iudex non teneatur ſecundum communiorem opinionem iudicare, oſtenditur, n. 4.

Videndi ſunt aliqui caſus particulares, ſi licet operari ſecundùm opiniones probabiles, vel non, n. 5.

Primus caſus eſt de perſona indocta, n. 6.

Secundus caſus eſt de perſonis doctis, n. 7.

Tertius caſus eſt de confeſſore, ſi poterit contra ſuam opinionẽ, pœnitentẽ abſoluere, perſeuerãtẽ in contraria opinione, n.8.
Quartus caſus eſt de ſubdito, ſi contra ſuam opinionem tenetur ſuperiori obedire, n.9.
Quintus caſus eſt de aduocato, n.10.
Sextus caſus eſt de adminiſtratore Sacramentorum, nu.11.
Septimus caſus eſt de medico, n.12.
Satisfit argumentis propoſitis, n.13.

ARTICVLVS III.

1 *Vtrùm iudex teneatur iudicare ſecundùm opinionem communiorem, & probabiliorem.*

2 PRimò pro parte negatiua argumentor ſic. In c. capellanus, de ferijs, in c. ex literis, de ſponſ. in c. 3. de cenſib. & in pluribus alijs, definitur, quòd non eſt ſequenda communis opinio: ergo iudex non tenetur ſecundùm illam iudicare.

Secundò. In cauſa matrimoniali, & in reliquis fauorabilibus, opinio vnius Doctoris, vel minoris partis, præfertur contra eam, quæ cõmunior eſt, argum. text. in c fin. de cognat. ſpiritu. Et tenent Hoſtienſ. in c. ſi vir, de cognat. ſpirit. & Abb. in c. fin. de re iud. ergo iudex non tenetur ſecundùm opinionem communiorem iudicare.

3 His, & alijs non obſtantibus concluſio eſt. *Iudex tenetur ſecundùm opinionem communiorem, & probabiliorem iudicare*

Probatur concluſio, nam aliter peccabit mortaliter, & contra conſciẽtiam ſuam ſententiam feret, & poterit puniri in ſyndicatu & ratio iſtius multiplex eſt. Primò, quia iudex tenetur iudicare ſecundùm maiora, & potiora merita

rita cauſæ, ſed qui habet pro ſe probabiliorem, vel cõmuniorem opinionẽ, habet maiora merita in cauſa: ergo pro illo pronuncianda erit ſententia. Secundò quia iudex à communi opinione recedere non debet, nam præſumptio ſemper eſt, pro maiori parte, quę meliùs inueſtigat veritatem vt patet ex text. in c. nouimus, de verb. ſign. text. In c. de iudicijs 3. q. 3. in c. canonicis, 19. diſt. tex. in l. 1. ff. de offic. quæſtoris, gloſ. in c. fin. de pœnis, & tenent cõmuniter Doctores, in c. 1. de conſt. Abb. Decius, Felin. & alij Iuriſperiti, Corduba lib. 2. q. 3. Conradus de contractibus, q. fin. Vazquez diſput. 64 c. 2. Sylueſter verb. *Opinio*, §. 2. & alij plures in ſupradictis articulis citati.

4 Sed, vt iſte articulus intelligatur, aliqua ſupponenda ſunt. Primò ſupponimus, prout dictum eſt, quòd iudex tenetur ſecundùm opinionem communiorẽ iudicare, niſi prædicta opinio communior fuerit euidenter falſa, vel cõuincatur probabilibus rationibus, nam in tali caſu non cõmunior, ſed probabilior ſequenda eſt, argum. text, in c. capellanus, de ferijs, text. in l. 1. C. de vet. iur. enuc. verſic. ſed neque: vbi habetur, quòd non ex multitudine auctorum erit iudicandum, quia poterit eſſe vnus, & forſan deterioris ſententiæ, qui multos, & maiores in aliqua parte ſuperet, vt etiam in art. 1. n. 5. dictum fuit. & in hoc bonus iudex attentius reſpicere debet, ne ſententiam ferat cõtra ſe, & ne cadat in pœnam, quæ in c. cùm æterni tribunal, de ſent. & re iudic. lib. 6. continetur.

5 Secundò ſupponimus, nam ſupradictum eſt generaliter, de opinionibus ſequendis in rebus agendis; ſed quia morales regulæ frequenter exceptionem patiuntur; ex quo viſum eſt de iudice, videndum eſt modò in particulari de alijs quibuſdam peculiaribus caſibus, ſi licitum erit in illis, omiſſis opinionibus cõmunioribus,

probabilioribus, & tutioribus, ſequi opiniónes probabiles, & minùs tutas, & ſecundùm eas operari valeamus; idque ſpecialem difficultatem habere ſolet de perſona indocta, de docto, de confeſſario, de ſubdito, de aduocato, de adminiſtratore Sacramentorum, de medico, & propter hoc de ſingulis aliquid breuiter dicemus.

6 Primus caſus eſt de perſonis indoctis; difficultas eſt, ſi indocti tenentur opinionem probabiliorem, vel tutiorem ſequi, & ſecundùm eam operari, vel ſatis ſit quamcunque opinionem, etiam ſi fuerit minùs tuta, & minùs probabilis, ſequi.

Ad hãc difficultatem breuiter dico, quòd indocti, ſiue ſciant, ſiue neſciant, quod in re illa, quam ſequuntur, ſint variæ opiniones inter Doctores, & non ex mala intentione, ſed ex ignorantia ſequuntur opinionem, quæ eſt minùs probabilis, vel minùs tuta in re graui, ſed tamen cum bona fide, & bona conſcientia, quia putant licere agere, & ſecundùm eam operari, imò ſi ſufficienter ſcirent illud, quod operantur, illicitũ eſſe, deſinerent ſecundùm talem opinionem operari: iſti certè inculpabiliter agunt, & rectè operantur, & excuſantur, ſi probabiliorem, vel tutiorem partem non ſequantur, per ignorantiam inuincibilem, ita Nauarrus in ſumma, c. 27. Medina de reſtit. q. 22. gloſ. in Extrauag. inter nonnullos, de verb. ſign. Cord. lib. 2. q. 3. Conrad. de contract. q. fin. cum alijs.

7 Secundus caſus eſt, de perſonis doctis, qui opiniones diſcernere, & examinare valent, an excuſentur in dubijs, & in rebus grauibus, ſi opiniones tutiores, vel probabiliores non ſequantur. Ad hanc difficultatem dico primò, quòd nullo pacto excuſantur, nam vtentes opinionibus minùs tutis, & minùs probabilibus temerè agunt, & contra probabiliorem, & tutiorem conſcientiam recla-

reclamantem operantur, nec excuſantur, ſi non aduertunt id, quod aduertere tenebantur; imò mortaliter peccant, quia, *Qui amat periculum, peribit in illo*, ita Adrianus in 4. & Corduba cum alijs ſupra citatis.

8 Tertius caſus eſt de confeſſario, ſi poterit confeſſarius pœnitentem abſoluere contra propriam opinionem, ſequendo opinionem probabilem, vel minùs tutam ipſius pœnitentis, V.g. ſi pœnitens confitetur de aliquo contractu, quem putat eſſe illicitum & confeſſarius tenet quòd ſit vſurarius talis contractus: vel ſi pœnitens accedit ad Sacramentum cum ſola attritione, & confeſſarius putat nõ eſſe ſufficientem diſpoſitionem, ſed neceſſariam eſſe contritionem, vel ſaltem putatiuam, ſi in tali caſu teneatur pœnitentem perſeuerantem in ſua opinione abſoluere contra opinionem propriã. Et ſuppoſita illa diſtinctione, quòd confeſſarius, alius eſt ordinarius, & proprius ſacerdos, vt parochus, & alius eſt delegatus, vt ſunt reliqui ſacerdotes, qui de licentia Ordinarij confeſsiones audiunt. Dico primò, quòd ſi opinio pœnitentis eſt in re graui, & confeſſor erit ordinarius, vel proprius ſacerdos, vt parochus, poterit pœnitentem permanentem in ſua opinione abſoluere; & ratio eſt, quia ipſe pœnitens ex iuſtitia petit Sacramentum ab eo, & talis ſacerdos tenetur eum abſoluere in ſupra dictis caſibus. Vel dicere poſſumus ex illa regula, quòd *ex duobus malis, minus erit eligendum*; & ſic parochus in præſenti ſi abſoluit, facit contra propriam opinionem; ſi non abſoluit, facit contra iuſtitiam, eligat in iſto caſu ipſe parochus, quod eſt minus malum, & abſoluat pœnitentem. Dico ſecundò, quòd ſi confeſſarius eſt delegatus, non tenetur contra propriam opinionem, pœnitentem perſiſtentem in ſua opinione abſoluere, cùm ad id non teneatur de iuſtitia, ſicut tenebatur proprius parochus;

ita

ita tenent Ioannes de Medina de confeſsionib. quæſtione 15. §. ſequitur, Corduba, Conradus vt ſupra.

9 Quartus caſus eſt de ſubdito, ſi ſubditus tenetur contra propriam opinionem obedire ſuperiori; Non loquor ſi id, quod imponitur; ſit contra legem diuinam, quia in tali caſu clarum eſt, quòd non teneatur obedire: ſed loquor in alijs caſibus, in quibus dico breuiter, quòd tenetur obedire & deponere opinionem propriam, vel eligat ex duobus malis minus malum, quod eſt obedire & facere contra opinionem propriam, prout in ſupradicto caſu dictum fuit. Tum quia ſubditi nō poſſunt in omnibus mādatis ſuperiorum, certitudinem habere de mandatis, ſi legitima fuerint, cùm pendeant plerumque ex rationibus, quas ſuperior non tenetur, nec poteſt ſubditis manifeſtare, & ideo ſubditus ſuperiori obedire tenetur contra propriam opinionem, ita Corduba lib. 3. q. 9. Vazquez vt ſupra diſput. 62. c. 6.

10 Quintus caſus eſt de aduocato, ſi poterit defendere cauſam ſequendo opinionem minùs tutam, & minùs probabilem. Ad hanc difficultatem dico breuiter, quòd ſi cauſa fuerit anceps, vel minùs probabilis, poterit eam licitè patrocinari, dummodo non decipiat clientem ſuum, certiùs illi proponendo ſententiam, ſed tenetur ei aperire veritatē: & ratio iſtius eſt, quia officium aduocati nō eſt rem litigioſam definire, ſicut facit iudex per ſententiam, ſed ſuum officium eſt proponere ſincerè fundamenta iuris, vel facti, vt ipſe iudex deinde valeat eam diffinire, ita Aragonius & Bañez in 2. 2. quæſtione 71. articulo. 3. & 4.

11 Sextus caſus eſt de adminiſtratore ſacramentorum, ſi in eis liceat ſequi opiniones probabiles, & minùs tutas prçter

præternisſis probabilioribus, & tutioribus. V.g. ſi licitum erit baptizare in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque, vel ſi liceat aliquid detrahere à forma Sacramentorum: & ſuppoſita illa generali regula, quòd quoties varietas, & contrariæ opiniones reperiuntur circa Sacramenta, ſeruandus eſt mos, & conſuetudo Eccleſiæ vniuerſalis, & ſecundùm eam operandum erit. Dico ad difficultatem, quòd in adminiſtratione Sacramentorum, nullatenus opinionem probabilem, ſeu minùs tutam ſequi debemus; ſed ſemper probabiliorem, & tutiorem: quod patet ſubſequentibus rationibus. Primò; quia, qui ſequitur opinionem probabilem, vel minùs tutam in Sacramentis, exponit, ſe periculo efficiendi irritum Sacramentum, aut effectum gratiæ ipſius, quod graue ſacrilegium eſt, contra reuerentiam debitam Sacramentis. Secundò, quia ſi attendamus ad obligationem, quam debemus, & tenemur in Sacramentorum adminiſtratione, & ad damnum, & neceſſitatem fidelium indigentium Sacramentis, non ſatis eſt opinionem probabilem, & minùs tutam ſequi, dum probabiliorem, & tutiorem ſequi poſſumus, in qua nullus annexus timor, periculum neque peccatum contra religionem, nec damnum contra proximum reperitur, neque ſalus animarum, neque gratia, vel augmentum illius periclitatur. Tùm tertiò, quia non prudenter facit, qui in re tanti momenti ſequitur incertam viam, nam ſi contingat errare, ſicut fieri poteſt, non poterit excuſari, quaſi ex ignorantia inuincibili errauerit: ita tenent Suarez, 3.p.to.3.diſt.16.Seſſ.2.& diſtinct.43. Seſſ.1.& diſt.60.Seſſ.1. Ledeſma de Sacramentis in genere, dub.1.concluſione 4. Durand.in 4.diſt.17.q 13.nu.6. Dominicus Sotus in 4.diſtinctione 9. quæſt.1. art.3. cum alijs.

Digitized by Google

12 Septimus caſus eſt de Medico, an liceat Medico in curationibus ſequi opinionem probabiliorem, & tutiorem. Ad hanc difficultatem dico breuiter, quòd quando dubium eſt, an medicamentum proficiat, vel grauiter noceat, tenetur Medicus ſecundùm probabiliorem, & tutiorem opinionem, infirmũ mederi:& ratio eſt, prout dictum fuit de Sacramentis. nu.præcedenti, quia nõ prudenter, imò temerè facit, qui in re tanti momenti, vbi timetur graue damnũ, incertam viam ſequitur, cùm poſsit habere certam, nam ſi contingat errare, ſicut faciliter fieri poteſt, excuſari non valet, quòd ex ignorantia inuincibili id fecerit: ſi autem liceat, cùm infirmus ferè deſtitutus ſit, vti quocunque medicamento, etiam quòd fuerit contra communiorem, & tutiorem opinionem, ex c. tua nos, & ex c.petitio, de homicidio volunt. Silueſter, verbo Medicus, § 4. Nauarrus in c.ſi quis, de pœnitentia, diſtinct.7.nu.58.& Corduba, lib.3.quæſt.5.tenent, quòd non poterit, licèt alij contrarium ſuſtentent in tali caſu: ita Lorca, vt ſupra, diſputatione 39. memb.2. Vazquez, diſput.64 c.4.cum alijs.

13 Non obſtant modò in contrarium adducta argumenta. Non primum deſumptum ex c. Capellanus, de ferijs, nam reſpondetur, quòd verum eſt, quòd quoties communis opinio euidenter fuerit falſa, & contraria opinio fuerit probabilior, quæ melioribus, & ſubtilioribus rationibus nititur: tunc probabiliorem opinionem, & non communiorem ſequi debemus, prout declaratum fuit ſupra numer. 4. & ſic intelliguntur iura citata, & ſoluitur primum argumentum.

Non obſtat ſecundum deſumptum ex c. fin. de cognat. ſpirituali, & ex pluribus alijs iuribus, nam reſpondetur, quòd in cauſa matrimoniali, & in reliquis cauſis fauo-

rabilibus

Digitized by Google

rabilibus pro eis pronuncianda erit ſententia,ſed hoc intelligitur, quando plures diuerſæque ſunt opiniones,& varij Doctores inter ſe, vel inæquales, ſeu paruæ differentiæ, non antem quando contraria opinio erit communior,quia tunc ei ſtandum erit, vt in c. ex tenore, de foro compet.in c.fin.de donat.inter virum & vxorem,& tenent Decius,vt ſupra, & Abb. in c. fin.de re iudicata, & ſoluitur argumentum, articulus, diſputatio,& liber ſecundus.

(:?:)

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX DISPVTATIONVM, ET ARTICVLOrum, qui hoc opere continentur.

In libro primo continentur ſequentes diſputationes.

Diſputatio prima. De legibus in communi, in quatuor articulos diuiſa, fol. 5.

1 Articulus primus. Vtrùm lex ſit quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet promulgara, fol. 6.
2 Vtrùm de ſubſtantia legis ſit, vt pro communi bono feratur, fol. 11.
3 Vtrùm promulgatio ſit de ratione legis, fol. 17.
4 Vtrùm quatuor tantùm ſint leges in vniuerſum, æterna, naturalis, humana, & diuina, fol. 22.

Diſputatio ſecunda. De effectibus legum, in duos articulos diuiſa, fol. 26.

1 Vtrùm effectus legum ſit facere homines bonos; fol. 27.
2 Vtrùm proximus effectus legis ſit præcipere, prohibere, permittere, & punire, fol. 30.

Diſputatio tertia. De lege æterna, in tres articulos diuiſa, fol. 35.

Digitized by Google

1 Vtrùm ſit aliqua lex æterna, & quid ea ſit, fol. 36.
2 Vtrùm omnes leges à lege æterna deriuentur, fol. 41.
3 Vtrùm omnia tam neceſſaria, quàm contingentia, vel naturalia, legi æternæ ſubdantur, fol. 44.

Diſputatio quarta. De lege naturali, in quatuor articulos diuiſa, fol. 50.

1 Vtrùm in nobis ſit aliqua lex naturalis, fol. 51.
2 Vtrùm lex naturalis ſit vna, & ſi contineat plura præcepta, fol. 56.
3 Vtrùm lex naturalis mutari, & aboleri poſsit à cordibus hominum, fol. 62.
4 Vtrùm ius gentium ſit idem cum iure naturali, fo. 70.

Diſputatio quinta. De lege humana ſecundùm ſe, in tres articulos diuiſa, fol. 77.

1 Vtrùm præter legem naturalem, neceſſaria fuerit nobis lex humana, fol. 78.
2 Vtrùm omnis lex humana à lege naturali deriuetur, folio 83.
3 Vtrùm legis humanæ qualitates rectè ab Iſidoro deſcribantur, fol. 88.

Diſputatio ſexta. De lege humana ſecundùm ſuam poteſtatem, in quinque articulos diuiſa, fol. 93.

1 Vtrùm lex humana poſsit omnia vitia prohibere, & omnium virtutum actus præcipere, fol. 94.

Vtrùm

2 Vtrùm lex humana poſsit obligare ſubditos in foro conſcientiæ, fol. 97.
3 Vtrùm omnes homines ſubijciantur legi, fol. 102.
4 Vtrùm lex humana debeat aliquo modo mutari, folio 107.
5 Vtrum conſuetudo poſsit obtinere vim legis, fo. 111.

Diſputatio ſeptima. De lege veteri, in quinque articulos diuiſa, fol. 116.

1 Vtrùm præter legem æternam, naturalem, & humanam fuerit alia diuina hominibus neceſſaria, fol. 117.
2 Vtrùm lex vetus fuerit bona, & à Deo data, fol. 120.
3 Vtrùm lex vetus obligauerit ſolum Iudæos, fol. 125.
4 Vtrùm conuenienter lex vetus in tria genera præceptorum moralium, cæremonialium, & iudicialium diuiſa fuerit, fol. 129.
5 Vtrùm lex vetus ceſſauerit per aduentum Chriſti, folio. 135.

Diſputatio octaua. De lege noua, in quatuor articulos diuiſa. fol. 141.

1 Vtrùm lex noua ſit ſcripta, an potiùs cordibus indita, folio 142.
2 Vtrùm lex noua debuerit dari à principio mundi, & duratura ſit vſque ad finem ſæculi, fol. 148.
3 Vtrùm lex noua ſit alia à lege veteri, fol. 151.
4 Vtrùm conuenienter in lege noua tantùm tria genera præceptorum fidei, Sacramentorum, & moralium inſtituta fuerint, fol. 157.

IN:

Digitized by Google

INDEX.

IN LIBRO SECVNDO continentur diſputationes ſequentes,fo. 156.

Diſputatio prima. De acceptione perſonarum in beneficijs Eccleſiaſticis, in ſex articulos diuiſas,fol. 169.

1 Vtrùm conuenienter triplex iuſtitia conſtituatur,legalis, diſtributiua,& commutatiua,fol. 170.

2 Vtrùm perſonarum acceptio, quæ opponitur iuſtitiæ diſtributiuæ peccatum ſit mortale,fol. 175.

3 Vtrùm tantùm tres ſint conditiones eſſentiales, de iure diuino, & naturali, quæ requiruntur in iuſtitia diſtributiua, fol. 181.

4 Vtrùm Epiſcopus Canoniſta magis quàm Theologus eſſe debeat,fol. 187.

5 Vtrùm liceat conferre beneficium digno, dimiſſo digniori,fol. 192.

6 Vtrùm Patroni teneantur præſentare digniorem,fo. 207.

Diſputatio ſecunda. De acceptione perſonarum in officijs ſæcularibus, in tres articulos diuiſa,fol. 214.

1 Vtrùm Rex, ſeu Princeps abſolutus habeat dominium officiorum ſæcularium,fol. 215.

2 Vtrùm in diſtributione officiorum poſsit contingere peccatum acceptionis perſonarum,fol. 218.

Vtrùm

3 Vtrùm officia publica licitè vendi poſsint, fol. 224.

Diſputatio tertia. De acceptione perſonarum in reliquis bonis communibus diſtribuendis, in tres Articulos diuiſa. folio 230.

1 Vtrùm in exhibitione honoris, & reuerentiæ peccatum acceptionis perſonarum locum habeat, fol. 231.
2 Vtrùm in tributis diſtribuendis contingere poſsit peccatum acceptionis perſonarum, fol. 235.
3 Vtrùm in iudicijs locum habeat peccatum acceptionis perſonarum. fol. 244.

Diſputatio quarta. De reſtitutione in iuſtitia diſtributiua, in tres articulos diuiſa, folio 249.

1 Vtrùm diſtributor eligẽs dignum, omiſſo digniori, teneatur ad reſtitutionem, fol. 250.
2 Vtrùm impedientes, ne aliquis officium, vel beneficium conſequatur, teneantur ad reſtitutionem, f. 262.
3 Vtrùm illi qui nihil acceperunt, teneantur etiam ad reſtitutionem, fol 268.

INDEX.

Diſputatio quinta. De opinionibus in quacũque re ſequendis, in tres articulos diuiſa. fol. 278.

1. Vtrùm liceat ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, f. 279.

2. Vtrùm in opinionibus æquè probabilibus, ſemper vbi minus malum timetur, vel quæ tutior opinio eſt, ſequenda ſit, f. 286.

3. Vtrùm iudex teneatur iudicare ſecundùm opinionem communem, & probabiliorem, 292.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERVM, & ſententiarum.

QVAE IN HOC OPERE continentur.

A

Acceptio perſonarum.

PErſonarũ acceptio pecca tũ mortale eſt.n.3..f.176.

Aliquando poterit eſſe perſonarum acceptio venia le,n.4.fol.177.

Acceptio perſonarum vitiũ eſt,quod opponitur iuſti tię diſtributiuę,n.5.f.177

Definitio acceptionis perſonarum aſsignatur.n.6. fol.177.

Inquibus caſib' cõmittatur acceptio perſonarũ,oſten ditur,d.n.6.f.177.

Mala plura ſunt,quæ ſequũ tur ex acceptione perſo narum,n.7.f.178.

In bonis liberis non cõmittitur acceptio perſonarum,n.8.f.178.

Acceptio perſonarum com mittitur in diſtributione officiorum: vide Officia.

Acceptionem perſonarum locum habere in honori bus: vide Honores.

B

Beneficium.

VIde Electio, in quo plu ra circa hoc dicuntur.

C

Conſuetudo.

COnſuetudo habet vim legis,n.3.f.111.

Cõſuetudo quid ſit,&quot effectus habeat, n.4 fol. 112.

Ad conſuetudinem intro ducendam , requiritur

conſenſus Principis, & plura alia, n.5.f.112.
In quo conueniant; & in quo differant præſcriptio, & conſuetudo, nu. 6. fol. 104.

Conditiones iuſtitiæ diſtributiuæ.

TRes ſunt conditiones quæ requiruntur de iure naturali, & diuino, nu. 3.f.181.
Prima conditio eſt morum probitas, & declaratur, n.4.f.182.
Secunda conditio eſt doctrina, & declaratur, num. 5. fol. 183.
Tertia eſt induſtria, ſeu prudentia, & declaratur, nu. 6.f.183.
Aliquæ conditiones de iure poſitiuo declarantur, n.7.fol.184.
Conditio ſeruitiorum, enumeratur inter prædictas, n.8.f.184.
Seruitia maiora, & antiquiora præferenda ſunt, d.n. 8.f.184.
Eligendi neceſſario boni cognoſcendi ſunt, ab electoribus, nu.9.fol.185.
Quæ harum conditionum præfertur, & quomodo ex eis cognoſcatur dignior, n.10.f.185.

Concurſus.

Concurſus poſitiuus datur in aliquibus beneficijs, n.7.f.210.
Cõcurſus naturalis, vel quaſi concurſus datur in aliquibus alijs beneficijs, n. 8.f.211.

D

Diſpenſatio.

DIſpenſatio in Lege humana, an fieri poſsit: vide Lex humana.
Diſpenſatio in iure naturali: vide Lex naturalis.
Diſpenſatio in iure gentiũ ſi fieri poterit: vide Lex humana.

E

EFfectus vltimus Legis eſt facere homines bonos, n.3.f.27.

Effe-

Effectus legis, cum fine ferè coincidunt, numer 4. fol. 28.

Omnes leges habent facere homines bonos in ſuo gradu, n. 5. f. 28.

Effectus proximus legis eſt præcipere, prohibere, permittere, & punire, n. 4. 5. & 6. f. 30. 31. & 32.

Prædicti quatuor effectus non conueniũt omni legi, oſtenditur, num. 7. fol. 33.

Alij effectus legis qui reducũtur ad ſupradictos quatuor, enumerantur, n. 8. f. 33.

Epiſcopus.

EPiſcopus eligendus ad Epiſcopatum, an debeat eſſe Theologus, vel Canoniſta, duplex eſt opinio, n. 3 f. 188.

In quo conſiſtat reſolutio iſtius dificultatis, num. 4 fol. 188.

Epiſcopus regulariter magis debet eſſe Theologus, quàm Canoniſta, n. 5. f. 189.

Quæ dicta ſunt de Epiſcopatu, proportionabiliter dicuntur de beneficijs curatis, num. 6. folio 190.

Aliquando licitum erit, vt præferatur Canoniſta in Epiſcopatibus, n. 7. f. 190.

Electio.

GLoſſa, & alij qui dicunt non eſſe mortale eligere ad beneficium dignum dimiſſo digniori, n. 3. f. 193.

Indignus nunquam eſt eligendus, n. 4. f. 194.

Inæquè dignis datur electoribus locus gratificationis, n. 5. f. 194.

De electione poſſumus loqui, vel quoad forum iudiciale, vel quoad forũ conſcientiæ, numero 6. fol. 195.

Iura aliqua, loquuntur de electione ante factum, & aliqua poſt factum, n. 7. f. 196.

Quæ dicunt, dignum, omiſſo digniori, eſſe eligendum, ſunt iura permiſſiua

Digitized by Google

u ı,non pręceptiua,d.nu. 7.f.196.
In beneficijs tria reperiuntur, miniſterium,ſtipendium,& honor, n 8.& 9. fol.197.
Electores in duplici ſunt differentia in electione,nu. 10.f.198.
Eligere dignū prætermiſſo digniori inEpiſcopatibus & beneficijs curatis mortale peccatum eſt, n.11. 12.13.14.f.198.199.& ſequentibus.
Prætermittere digniorē in Epiſcopatibus,&curatis, ex quinque capitib⁹,mortale peccatum eſt, n.15. fol.202.
Eligere digniorem non cōſilium,ſed pręceptum naturale,diuinum,& humanum eſt in ſupradictis caſibus,n.16.f.202.
Exhortātur electoresad digniores eligēdos,n.17.f.202
In beneficijs non curatis, non licet eligere dignū dimiſſo digniori, nu.18. fol.204.
Nō valet cōſuetudo eligēdi dignos digniori bus prætermiſsis,nu.19.fol.204.

H

Honor.

IN exhibitione honoris locum habet acceptio perſonarum,n.3.& 4.fol. 231.& 232.
Honor principaliter debetur virtuti,n.5.f.232.
Honor diuerſis titulis debetur,n.6.f.233.
Diſtributio honoris à Republica ciuibus commiſſa eſt,n.7.f.233.
Quomodo honores dicantur bona communia, n. 8.f.233.

I

IVs plura ſignificat,num. 1.f.1.
Ius gentium:vide Lex naturalis.

Iuſtitia.

IVſtitia multas habet ſignificationes,n.3.f.2.
Iuſtitia ſemper eſt ad alterum,n.3.f.170.
Ex triplici ordine,qui reperitur

Digitized by Google

ritur in Republica, triplex iuſtitia conſtituitur, n.3.f.170.
Ex primo ordine conſtituitur iuſtitia legalis, nu. 4. fol.171.
Ex ſecundo ordine conſtituitur iuſtitia diſtributiua, n.5.f.172.
Ex tertio ordine conſtituitur iuſtitia commutatiua d.n.5.f.172.
Quomodo differant prædictæ tres iuſtitiæ inter ſe, n.7.f.172.
Iuſtitia vindicatiua quæ ſit, & ad quam reducatur, n. 8.f.173.

Iudicium.

IN iudicijs locum habet peccatum acceptionis perſonarum, n.3.f.244.
Actus iudicij quomodo dicantur bona communia, n.4.&5.f.245.
Ea quæ à iudice in iudicio efficiuntur, in multiplici differentia ſunt, num.6. fol.246.
In quibus actibus iudicij poterit eſſe acceptio perſonarum, n.7.f.247.
Quando iudex excuſatur ab acceptione perſonarum, n.8.f.247.

Impedientes.

Impedientes poſſunt eſſe in quadruplici differentia, n.4.f.263.
Impedientes iuſtè ad nihil tenentur, n.5.& 6 f.263.
Conſiliarij impedientes digniores, ad reſtitutionem tenentur, n.7.& 8.f. 264. & 265.
Impedientes illi, qui vt priuatæ perſonæ ſe habent, tenẽtur quoque ad reſtitutionem, n.6.f.265.
Qui nihil acceperunt, tenẽtur etiam ad reſtitutionẽ n.3.f.268.
Qui proximos lædunt, alij ſunt principales, & alij ſunt complices, n.4.fol. 269.
Nouem modis quis poterit eſſe cauſa iniuſtæ acceptionis, & quid ſit iniuſta acceptio, n.5. & 6.f.270.
Declarantur nouem modi in quibus cõplices tenentur.

Digitized by Google

cur ad reſtitutionem, nu. 6.7 8.9.& 10.f 271. & ſequentibus.

Proponuntur aliquæ difficultates in hoc, n. 11. 12. & 13.f.272.cum ſequentibus.

Iudex.

IVdex tenetur iudicare ſecundùm opinionẽ probabiliorem, & communiorem, n.3.f.291.

Quando iudex nõ tenetur opinionem communiorem ſequi, n.4.f.298.

L

Lex.

LEx multa ſignificat: nu. 2.f.2.

De legibus ſcripſerũt Theologi, Philoſophi, & Iuriſperiti, & in quo differãt, n.4.& 5.f.3 & 4.

Quid ſit lex, & vnde dicatur, oſtenditur, nu. 3.& 5. f.6.& 7.

Lex eſt potius opus intellectus quàm voluntatis, n. 6.f.8.

Leges in triplici ſubiecto conſiderari poſſunt, n.7. folio 9.

Lex pro communi bono fe ratur, & quomodo hoc intelligitur, n.3.f.11.

Lex non reſpicit, neque dirigitur ad caſus particulares, n 5.f 13.

Cauſa efficiens, & ad quos ſpectat condere leges declaratur, n.6.7.f.14.

Cauſa materialis circa quã leges verſantur, oſtenditur, n.8.f.15.

Quomodo differant hæc tria: lex, præceptum, & priuilegium, numer.9.folio 16.

Promulgatio eſt de eſſentia legis, n.3.f.18.

Ad promulgationem legis humanæ duo requiruntur, n.4.f.19.

Lex diuina tripliciter à Deo promulgari poteſt, nu. 5. fol.20.

Lex humana quatuor requirit circa promulgationem, n.6.f.20.

Quatuor tantùm in vniuerſum ſunt leges, n.3.f.23.

Tres diuiſiones legum traduntur, numero 4 & 5. fol 24.

Digitized by Google

INDEX.

Lex æterna.

DAtur aliqua lex æterna, oſtenditur,& probatur, n.3.f.37.

Lex æterna tripliciter conſiderari poteſt,n.4.f.37.

Quomodo homines cognoſcunt legem prædictã æternam,n.5.f.38.

In quo conueniant,& differant lex æterna, & prouidentia diuina,n.6.f.38.

Variç diffinitiones legis ętcrnæ conſtituuntur, nu. 7. fol.39.

Aliqua quæ colliguntur ex definitionibus legis æternę,oſtendũtur,n. 8. f.39.

Omnis lex,à lege æterna deriuatur,n.3.f.41.

Lex æterna conſideratur prout eſt in Deo,&prout eſt in ſubditis,& colligũtur ex hoc diuerſa,nu.4. fol.42.

Lex diuina, & naturalis, immediatè deriuantur à lege æterna,n.4.f.42.

Lex humana non immediatè deriuatur à lege æterna,n.f.42.

Omnia creata ſubijciuntur legi æternæ,n.3.f.45.

Tria genera rerum quæ reperiuntur in orbe, ſi omnia ſubijciantur legi æternæ,n.4.f.46.

Duplex eſt modus quo creaturæ ſubijciũtur legi ęternæ,n.5.f.45.

Lex æterna dupliciter accipitur,n. 6.f.46.

Deus, & attributa diuina non ſubijciuntur legi æternæ,n.7.f.46.

Omnes creaturæ, & actiones earum ſubijciuntur legi æternæ,n.8.f.47.

Homines dupliciter ſubijciuntur legi æternæ,n.9. fol.47.

Lex naturalis.

DAtur in hominibus aliqua lex naturalis,& declaratur,n.3.f.51.

Definitiones iuris naturalis aſsignantur,n.4.f.52.

Lex naturalis, eſt vera lex, oſtenditur,n 5.f,52.

Diuerſimodè ius naturale explicatur à Philoſophis, à Theologis,& Iuriſperitis,n.6.f.53.

Differẽtia,quæ verſatur inter

ter legē naturalē,& æter nam oſtenditur,n.7.f.54.
Eſsētia iuris naturalis inquo conſiſtat oſtenditur, n.8. fol 54.
Lex naturalis vna eſt apud omnes homines, n.3.f.57.
Præcepta legis naturalis in triplici ſunt genere, n.4. fol.57.
Lex naturalis in quo eſt vna apud omnes , & in quo eſt varia,n. .f 58.
Ex triplici inclinatione humana triplex genus præceptorū legis naturæ cōſtituitur,n.6.f.59.
Lex naturalis continet vnū præceptum primum, ex quo plura deducuntur,n. 8.f.60.
Tribus modis excogitari poterit mutatio in lege naturali,n.3.f 62.
Lex naturalis mutari poteſt per additionē,n.4. f.63.
Lex naturalis per ſubtractionem mutari non poteſt, n.5.f.63.
Lex naturalis quoad prima principia,& quoad aliqua alia aboleri nō poteſt,n.6. & 7.f.64.& 65.
Si in lege naturæ poſsit fieri diſpenſatio oſtēditur, n. 8.& 9.fol.65.& 66.
Si in lege naturæ poſsit fieri interpretatio,num.10. fol.69.
Multa præcepta iuris gentium enumerantur, n. 3. fol.70.
Ius gentium ſi conſtituatur ſub iure naturali, vel ſub iure humano,n.4.f.71.
In quibus conueniant ius gentium , & ius naturale,n.5.f.71.
In quo differant ius gentiū, & naturale,n.6.folio 72.
In quo conuenit ,& differt ius gentium,cum iure naturali,n.7.f.73.
Ius gentium ſub iure poſitiuo continetur,n.8.f.74.
Si ius gentium derogari poteſt oſtenditur,num.9.folio 74.

Lex humana.

PRæter legem naturalem fuit nobis neceſſaria lex humana,n.3.f.78.
Cur dicatur lex humana, & cur lex poſitiua,n.4.f.79.

Diſſi-

Diffinitio legis humanę oſtẽditur, n. 5. f. 80.
Principes habere poteſtatem condendi leges humanas oſtẽditur, n. 6. f. 80
Conueniẽtius eſt quòd homines gubernentur legibus, & non arbitratu Principum, n. 7. f. 81.
Omnis lex humana ſi recta eſt à lege naturali deriuatur, n. 3. f. 84.
Duobus modis deriuatur lex humana à lege naturali, n. 4 f. 84.
Lex humana quædam conſtituit, quæ etiam conſtituta ſunt à lege diuina, & humana, n. 5 f. 85.
Præcepta naturalia, & humana valde differunt inter ſe, n. 6. f. 86.
Conditiones legis humanæ quæ ab Iſidoro aſsignãtur optimę ſunt oſtenditur, n. 3. f. 88.
Conditiones ſupradictę nõ requiruntur in legibus diuinis, n. 4. f. 89.
Declarantur conditiones ſupradictæ legis humanæ, n. 5. & 6. f. 90. & 91.
Lex humana non poteſt omnia vitia prohibere, n. 3. f. 64.
Quæ vitia prohibẽtur, quæ permittuntur in lege humana, n. 4. f. 95.
Lex humana non præcipit omnium virtutum actus n. 5. f. 95.
Qui actus virtutum præcipiuntur, n. 6. f. 96.
Lex humana iuſta obligat in foro conſcientiæ, n. 4. fol. 99.
Poterit eſſe lex humana iniuſta multipliciter, n. 5. folio 100.
Lex humana obligat aliquãdo ſub veniali peccato aliquando ſub mortali, n. 6. fol. 100.
Lex humana nõ ſolũ obligat ſub peccato, ſed aliquãdo cũ periculo vitę, n. 7. f. 101.
Omnes ſubijciũtur legibus ſui ſuperioris, n. 3 4 & 5. f. 102. & 103
Princeps non ſubijcitur legibus humanis in coactiua ſed in directiua, n. 7. & 8. f. 105 & 106.
Licitũ eſt quandoque leges

humanas mutare,n.3.f.103
Princeps ſucceſſor legẽ ſui prędeceſſoris mutare poteſt,n.4.f.108.
Princeps abſque iuſta cauſa leges mutare nõ poteſt, n.5.f.108.
Ad diſpenſationẽ legis tria neceſſaria ſunt,n.6.& 7. fol.109.
Quando diſpenſatio valida, vel inualida erit,oſtenditur,n.7.f.109.

Lex vetus.

PRæter legem æternam, naturalem,&humanam, neceſſaria fuit lex diuina n.3.f.117.
Pluribus rationibus fuit neceſſaria lex diuina poſitiua,n.4.f.118.
Lex diuina poſitiua eſt quędam participatio legis æternæ,d.n.4 f.119.
Definitio legis diuinę poſitiuæ,oſtenditur,d. nu.4. fol.119.
Lex vetus fuit bona, nu. 5. fol.120.
Lex vetus,licèt fuerit bona, non tamen fuit perfecta n.4.& 5.f.121.
Lex vetus à Deo data fuit, & quomodo,oſtenditur, n.6.& 7.f.123.
Lex vetus obligabat ſolùm Iudæos,n.3.f.126.
Gentiles ſaluabantur in lege naturæ,ſi legem veterem non ſuſcipiebant, n. 4.& 7.f. 126.& 128.
Conuenienti tẽpore lex vetus inſtituta fuit, num. 5. fol.127.
Forma iſtius legis in quo cõſiſtat,oſtẽditur,n.6.f. 127.
Præcepta veteris legis diuiduntur in præcepta moralia,cæremonialia,& iudicialia,n.3.f.130.
Pręcepta moralia veteris legis declarantur,n.4.& 5 fol. 131.
Declarantur præcepta cęremonialia,n.6.& 7.f 132.
Declarantur præcepta iudicialia,n.8.& 9.f.132.& 133
Numerus præceptorum veteris legis,oſtenditur, n. 10.f.133.
Pręcepta Fidei,Spei,& Charitatis ſunt ſuperaddita in veteri lege, oſtẽditur, n.11. f.134.

Lex vetus per aduētū Chriſti ceſſauit, n.3.f.136.
Lex vetus ante mortē Chriſti abrogata non fuit, n.5. fol.137.
Lex vetus per mortē Chriſti ceſſauit quoad cæremonialia, & iudicialia præcepta, n.6.f.137.
Variæ opiniones referuntur ſi illico poſt mortē Chriſti ceſſauit, n.7.fol.138.
Aliæ opiniones ſi illico poſt mortē Chriſti fuit mortua & mortifera, nu.8.9. & 10.fol.138.& 139.

Lex noua.

Cauſa efficiens nouæ legis oſtenditur, n.3.fol.142.
Cauſa finalis oſtenditur, n.4.fol.143.
Cauſa formalis oſtenditur, nu.5.fol.143.
Noua lex diuerſa nomina habet, n.6.fol.145.
Noua lex dicitur lex ſcripta in cordibus, n.7.fol.141.
Quæ continētur in lege noua oſtendūtur. n.8.f.146
Lex noua non debuit dari à principio mundi, n.3.& 4.fol.148.& 149.
Quo tēpore lex noua obligare cœpit, nu.5.fol.149.
Lex noua non eſt omnino diuerſa à lege veteri, nu.3.fol.152.
Excellētia legis nouæ reſpectu verteris in multis cōſiſtit, n.4.5.6.& 7.fo.152. & ſequentibus.
In lege noua tantū tria genera præceptorū inſtituta ſunt, fidei, Sacramentorū & moralium, n.3.f.157.
Cauſa materialis legis nouę oſtenditur, n.5 f.158.
In noua lege inſtituta non fuerunt præcepta cæremonialia, & iudicialia, n.6.f.158.
Præcepta fidei oſtendūtur, n.7.f.159.
Præcepta Sacramentorum oſtendūtur, n.8.f.160.
Præcepta moralia oſtendūtur, n.9.f.160.
Lex noua actus interiores, & exteriores ordinat, n.10.f.161.
In noua lege etiam continentur plura conſilia, n.11.fol.161.

Digitized by Google

INDEX.

O

Officia ſecularia.

OPinio Adriani, & aliorũ qui dicũt, Principes nõ eſſe dominos, ſed diſpenſatores, n. 3. f. 215.

Diſtributores officiorum in triplici ſunt differentia, n. 4 f. 215.

Rex habet dominium officiorum ſicut Reſpublica illud habebat, & in quo differunt, n. 5. & 6. f. 216. & 217.

Officia ſæcularia proportionẽ habent cũ beneficijs Eccleſiaſticis, n. 3. f. 219.

Officia ſæcularia conferenda non ſunt indignis, n. 4. f. 220.

Officia poſſunt eſſe in triplici differentia, n. 5. f. 220.

Cõditiones quę requirũtur vt quis cẽſeatur dignus ad iſta officia, n. 6 f. 221.

Officia primigeneris dignioribus conferẽda ſunt, n. 7. & 8. f. 221 & 222.

Quatuor ſunt opiniones circa venditiones officiorũ, n. 3. f. 225.

Actiones humanæ quadruplices poſſunt eſſe, & ad quã reducitur vẽditio officiorum, n. 4. f. 226.

Mala quæ ſequũtur ex vẽditione officiorum. n. 5. f. 226

Quomodo licita fieri poterit vẽditio officiorũ, n. 6. f. 227.

Princeps licitè poterit vẽdere officia publica cũ aliquibus cõditionibus, n. 7. f. 227.

Officia quę habent annexã adminiſtrationẽ iuſtitiæ, vẽdi nõ poſſũt, n. 8. f. 228.

Opinio.

OPiniones in multiplici ſũt differẽtia, n. 4 f. 280.

Septem ſunt cauſæ faciẽtes vnã opinionem probabiliorem alia, n. 5. f. 281.

Opiniones in rebus magni momẽti, & parui momẽti reperiri poſſunt, n. 6. f. 283.

In rebus grauibus ſequẽda eſt opinio probabilior, & non probabilis, n. 7. & 8. folio 283. & 284.

In opinionibus æquè probabilibus, ea, ex qua minus malum timetur, ſequenda eſt, n. 3 fol. 286.

Tres regulæ ad cognoſcendum quæ ſit pars tutior, n. 4. f. 288.

In opinionibus æquè probabilibus, ſeu æquè tutis da

tur

tur locus gratificationis, n.5.f.289.

Si duæ ſint opiniones cōtrariæ, vna tutior, & alia probabilior, quid ſit faciēdū, n.6.f.289.

Iudices ad iudicādū quam opinionē ſequi teneātur: vide Iudex.

Perſona docta, quā opinionē ſequi debet, n.6.f.294.

Perſona indocta, quā opinionē ſequi teneatur, n.7.f.294

Cōfeſſor cū pœnitente quā opinionē ſequi teneatur, n 8 f.295.

Subdit' ſi tenetur ſequi opinionē ſuperioris, n.9.f.2;6

Aduocat' quā opinionē ſequi teneatur, n.10.f.296.

Miniſter Sacramētorū quā opinionē ſequi teneatur, n.11.f.296.

Medicus quā opinionē ſequi teneatur, n.12.f.298.

P

Patroni.

LAmbertin' tenet, quòd Patroni nō tenētur præſentare dígniores, n 3 f.208

Patronus alius eſt Eccleſiaſticus, & alius ſæcularis, n.4.f.208.

Multis modis ius patronat' acquiritur, n.5.f.209.

In aliquibus beneficijs datur cōcurſus, & in aliquib' quaſi cōcurſus, n.7.f.210.

Patroni tenētur eligere digniores ad Epiſcopatū, & ad officia curata, n 8 f.211.

Patroni tenētur eligere digniores in alijs beneficijs non curatis, n.9.f.211.

R

Reſtitutio.

REferūtur tres opiniones in hac materia reſtitutionis, n.4.f.258.

Neceſſitas reſtitutionis oſtēditur, n.4.f.253.

Lex diuina, & poſitiua exigunt, vt beneficia dentur dignioribus, n 5.f.253.

Obligatio reſtitutionis oritur ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ, ſeu diſtributiuæ, n 6 f.254.

Beneficia, & officia quādo dicūtur bona cōmunia, & quādo propria, n. 7. f.255.

Bona quæ diſtribuūtur, poſſunt eſſe in triplici differētia, n.8 f.256.

Diſtributor bonorū cōmuniū ad duo tenet', n.9.f.256

Diſtri-

Diſtributores ommittentes digniores peccant mortaliter, & tenentur adæqualem reſtitutionem digniori, n. 10. f. 257.
Diſtributores omittentes digniorem tenẽtur quoque reſtituere Eccleſiæ, n. 11. f. 258.

T

Tributum.

IN tributis exigendis peccatum acceptionis contingere poteſt, n. 3. f. 236.
Quid, & quotuplex ſit tributum, n. 4. f. 236.
Tributum debetur Principibus omni iure, n. 5. fol. 238.
Tres conditiones requiruntur, vt tributè licite petatur, n. 6. f. 239.
Perſonæ Eccleſiaſticæ exẽptæ ſunt à ſolutione tributorum. n. 7. f. 240.
Immunitas hæc Eccleſiaſtica reuocari non poteſt, n. 8. f. 241.
Pœnæ contra eos, qui à perſonis Eccleſiaſticis tributa exigunt, numero 9. folio 241.
In quibus hæc immunitas fallit, n. 10. f. 242.

FINIS.

Digitized by Google

310

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google